This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

3 3433 08156001 7

Digitized by Google

Digitized by Google

BWHK
L35.B1

Tacitus
coll. works
Latin
1780-81

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

C. CORNELII
T. A C I T I
OPERVM
SVPPLEMENTA

Digitized by Google

Digitized by Google

Not in Ti
10/1 - 24
N. 6

C. CORNELII TACITI OPERVM SVPPLEMENTA

AVCTORE
GABRIELE BROTIER

v, 5

MANNHEMII,
Cura & Sumptibus Societatis literatae
MDCCLXXXI.

Digitized by Google

TO NEW YORK
PUBLIC LIBRARY
159701A
ASTOR, LENOX AND
TILDEN FOUNDATIONS
M 1924 L

Digitized by Google

SVPPLEMENTVM
LIBRI QVINTI
ANNALIVM

BREVIARIVM

I. Julia Augusta moritur. II. Ex eo gravior Tiberii dominatio; audacior Sejani ambitio. Agrippina & Nero accusantur. VI. Inauspicatae Drusi & Aemiliae Lepidae nuptiae. VII. Accusationum facilitas simul & atrocitas. VIII. Mors Jesu Christi & prodigia. X. Agrippina in insulam Pandatariam, Nero in Pontiam deportati. XIII. Drusus in ima palatii parte clauditur. XV. Sejanus, successu scelerum superbus, insolescit: adversus eum Tiberii artes. Ob ejus amicitiam Asinius Gallus pervertitur. XXIII. Velleius Paterculus scriptor & adulator. XXIV. Sejanus honoribus mactatur. XXVI. Geminius Rufus & Publia Prisca mortem voluntariam oppetunt. XXVII. Urbs in Sejani venerationem intenta: Tiberius ejus in ruinam intentior. XXX. Caius imperii heres ostentatur. Nero interficitur. XXXII. Sejanus, inrita spe amens, conjurationem machinatur. Tiberius, eam ab Antonia edoctus, Macronem deligit, qui Sejanum opprimat. Perit Sejanus, ruina, quam fortuna insignitior. XVIII. Ejus in filium & avunculum saevitum. Visa filii caede, Apicata ad scelerum Sejani & Liviae confessionem evicta. XLIV. Livia fame enecta. XLV. In omnes Sejani asseclas advertitur. L. Pseudo-Drusus apud Cycladas visus. LI. Consulum discordia.

Haec triennio gesta.

A. V. C.	Aer. Chr.	
DCCLXXXII.	29. *Coss.*	L. Rvbellio Gemino, C. Fvfio Gemino.
DCCLXXXIII.	30. *Coss.*	M. Vinicio, L. Cassio Longino.
DCCLXXXIV.	31. *Coss.*	Tiberio Augusto V, L. Aelio Sejano.

Digitized by Google

AN. V. C. DCCLXXXII. AER. CHR. 29.

RVBELLIO & Fufio conſulibus, quorum utrique Geminus cognomentum erat, Julia Auguſta mortem obiit, aetate extrema, nobilitatis per Claudiam familiam, & adoptione Liviorum Juliorumque clariſſimae. Primum ei matrimonium & liberi fuere, cum Tiberio Nerone, qui bello Perufino profugus, pace inter Sex. Pompeium ac triumviros pacta, in Urbem rediit. Exin Caeſar, cupidine formae, aufert marito, incertum an invitam, adeo properus, ut ne ſpatio quidem ad enitendum dato, penatibus ſuis gravidam induxerit. Nullam poſthac ſubolem edidit. Sed ſanguini Auguſti per conjunctionem Agrippinae & Germanici adnexa, communes pronepotes habuit: ſanctitate domus priſcum ad morem, comis ultra quam antiquis feminis probatum, mater impotens, uxor facilis, & cum artibus mariti, ſimulatione filii, bene compoſita. Funus ejus modicum, teſtamentum diu inritum fuit: laudata eſt pro roſtris a C. Caeſare pronepote, qui mox rerum potitus eſt.

Digitized by Google

II. At Tiberius, quod ſupremis in matrem officiis defuiſſet, nihil mutata amoenitate vitae, "magnitudinem negotiorum" per literas excuſavit: honoreſque memoriae ejus ab ſenatu large decretos, quaſi per modeſtiam imminuit, paucis admodum receptis, & addito, "ne caeleſtis religio decerneretur; ſic ipſam maluiſſe". Quin & parte ejuſdem epiſtolae increpuit "amicitias muliebres", Fuſium conſulem oblique perſtringens: is gratia Auguſtae floruerat, aptus alliciendis feminarum animis, dicax idem, & Tiberium acerbis facetiis inridere ſolitus: quarum apud praepotentes in longum memoria eſt.

III. Ceterum ex eo praerupta jam & urgens dominatio. Nam, incolumi Auguſta, erat adhuc perfugium; quia Tiberio inveteratum erga matrem obſequium, neque Sejanus audebat auctoritati parentis anteire. Tunc velut frenis exſoluti proruperunt: miſſaeque in Agrippinam ac Neronem literae, quas pridem adlatas, & cohibitas ab Auguſta, credidit vulgus: haud enim multum poſt mortem ejus recitatae ſunt. Verba inerant quaeſita aſperitate: ſed non arma, non rerum novarum ſtudium; "amores juvenum, & im-

Digitized by Google

pudicitiam" nepoti objectabat: in nurum ne id quidem confingere ausus, "adrogantiam oris & contumacem animum" incusavit, magno senatus pavore ac silentio: donec pauci, quis nulla ex honesto spes, & publica mala singulis in occasionem gratiae trahuntur, "ut referretur" postulavere, promptissimo Cotta Messalino cum atroci sententia: sed aliis a primoribus, maximeque a magistratibus, trepidabatur: quippe Tiberius, etsi infense invectus, cetera ambigua reliquerat.

IV. Fuit in senatu Junius Rusticus, componendis patrum actis delectus a Caesare, eoque meditationes ejus introspicere creditus: is fatali quondam motu (neque enim ante specimen constantiae dederat) seu prava solertia, dum, imminentium oblitus, incerta pavet, inferere se dubitantibus, ac monere consules, "ne relationem inciperent": differebatque, "brevibus momentis summa verti posse; quandoque Germanici stirpem, ubi spatium paenitentiae senis, resurgere". Simul populus, effigies Agrippinae ac Neronis gerens, circumsistit curiam, festisque in Caesarem ominibus, "falsas literas, &, Principe invito, exitium domui ejus intendi", clamitat: ita nihil triste illo die patratum. Fere-

Digitized by Google

bantur etiam sub nominibus conv[illegible] fictae in Sejanum sententiae, exercentibus plerisque per occultum, atque eo procacius, libidinem ingeniorum: unde illi ira violentior, & materies criminandi, "spretum dolorem Principis ab senatu; desciviſſe populum; audiri jam & legi novas conciones, nova patrum consulta: quid reliquum, nisi ut caperent ferrum? & quorum imagines pro vexillis secuti forent, duces imperatoresque deligerent".

V. Igitur Caesar, repetitis adversum nepotem & nurum probris, increpitaque per edictum plebe, questus apud patres, "quod fraude unius senatoris imperatoria majestas eluſa publice foret, integra tamen sibi cuncta" postulavit: nec ultra deliberatum, quo minus, non quidem extrema decernerent, id enim vetitum, sed "paratos ad ultionem vi Principis impediri" testarentur: olim ad servitutem proni, nunc projecti.

VI. Sejanus, hac Principis & senatus inclinatione factus audacior, nisi tamen intestinis discordiis graſſaretur, semper invalidus, ad atrociora aspirabat. Casus, an consilium, easdem adversum Germanici stirpem, quibus ipsum Tiberii sanguinem fuerat adgressus,

Digitized by Google

artes obtulit. Druſus enim, L. Othonis filiae quondam pactus, uxorem accepit Aemiliam Lepidam, generis nobilitate inſignem, ingenii pravitate foedam, marito diſcordem, Caeſaris odio, Sejani ambitione exitiabiliorem.

VII. In tanta regnatricis domus confuſione, non deferbuit publica accuſandi rabies: acrius etiam exarſit. Princeps, natura immitis, &, defuncta matre, truculentus, ut ſaevitiam diu coercitam exerceret, omnes Juliae amicitias & familiaritates adflixit; eique intimum equeſtris ordinis virum, quo poenae infamia diuturniorem terrorem faceret, ceteroſque, quae imminerent, doceret, in antliam condemnavit. Violentior quoque Sejani, dicteriis fictiſque ſententiis inluſi, ira; praemiis inritata veſtigatorum & accuſatorum aviditas, praeclaros quoſque & in civitate praeſtantes corripuit, civilique bello gravius confecit. Excipiebatur laetantium riſus, querentium dolor, jocantium ſimplicitas, ipſe ebriorum ſermo. Nihil erat tutum: omnis ſaeviendi placebat occaſio: unuſque reorum omnium eventus, aut mors propera, aut turpe ſupplicium.

Digitized by Google

VIII. Cum Romana civitas in ſui internecionem ita fureret, ſcelus unum, ſed in plura ſcelera & portentoſa mala erupturum, patravere Hieroſolyma. Pontius Pilatus, quem Caeſar Judaeae procuratorem fecerat, non vecors, imbellis tamen, Jeſum Chriſtum, novae religionis auctorem, a Judaeis pervicacius accuſatum, nullius criminis compertum, morte adfecit. Diffiſſa ſaxa, concuſſa terra, ſol caſſus lumine, ejus caedem ulciſci & innocentiam teſtari viſa: ipſe, effracto ſepulcro, adſtantibus cuſtodibus, redivivus & integer egreſſus, magnum fuit numinis argumentum; Tiberiumque omnibus intentum advertit, religionem non infixit.

IX. Princeps, in pacis curas fixus, inturbidum fovebat imperium. Idque, majore felicitate incertum an induſtria, adſecutus, ut dum Urbem luctu fatigaret, provincias diffuſa in omnes terrarum orbis partes tranquillitate recrearet; praemiorum parcus, injuriarum vindex acerrimus, praecellentis virtutis raro invidus, ſemper metuens: ducibus magiſtratibuſque uſus non optimis, ſed bonis, a quibus ſibi minor gloriae, at major dominationis ſpes.

Digitized by Google

AN. V. C. DCCLXXXIII. AER. CHR. 30.

X. M. Vinicio & L. Caſſio, conſulibus, Tiberius, atrox odii, tandem in Agrippinae & nepotum poenas duravit. Adſeverabat Sejanus, "impunitate gliſcere reorum animos, non jam verbis, ſed factis pudendiſque libidinibus graſſari: patres, milites corrumpi: Neronem Principem oſtentari; Tiberium Capreis, Agrippinam Romae dominari". Caeſar, irae non retinens, ubi dominationis anceps, duces, exercitus firmat, ad ſenatum ſcribit, "doloribus animum ſuum lacerari, abſtruſo pectus flagrare incendio: ſe ex nuru, ex nepote dolere, indignari, erubeſcere: deos, imperii cuſtodes, obteſtari, ut in majeſtatis reos meritas, & a patribus negatas, poenas immittant".

XI. Territi ſenatores, mala ſibi imminentia deprecentur, an in Agrippinae & Neronis caedem ruant dubii, paventes conſultant, & atroci ſenatuſconſulto in eorum damnationem conſpirant; inito tamen conſilio, "ſuſpenſis & ambiguis literis pertentandum Principem. Se ejus doloribus anxios, periculis exanimos, ſcelera exhorreſcere: ad ultionem paratiſſimos, non retardari niſi Principis juſſu, qui integra ſibi cuncta poſtulavit, & impera-

Digitized by Google

toriae majeſtatis dignitate, quae non feſtinatis, ſed lentis ſuppliciis vindicatur. In Caeſaris diſcrimine non modo reorum poena, at retectis & oppreſſis eorum conſiliis, conſulendum".

XII. Tiberius, his literis obſequii patrum certus, centuriones mittit, qui Agrippinam in Pandatariam inſulam, Neronem in Pontiam, catenatos projiciant. Accuſationum fama, poenae celeritas, populum in ſubitis incertum, in adverſis pavidum, percellit. Agrippina, ſui conſcia, injuriae impatiens, trahenti obnititur; in Principis convicia erumpit, exuere ferociam, & ſaevienti fortunae ſubmittere animum neſcia: centurio, ad acerbiſſima ſecreto exſtimulatus, os ejus verberat, oculum excutit, tantaque audacia accuſationibus fidem, animis terrorem addit. Malorum invicta, fortuna major, ipſa vulneris indignitate laetatur Agrippina, gnara vel in ſceleribus modum eſſe, potentiamque Sejani, in inſanas atrocitates effrenam, eſſe ruinae proximam.

XIII. At ille, ſucceſſu ſcelerum ſuperbus, Druſum adgreditur: eumque ut pervertat, Aemiliam Lepidam, ſtupris ſibi inligatam, adfinitatis & dominationis ſpe ad foedas

Digitized by Google

accuſatricis partes excitat. Femina, quanto in libidinem projectior, tanto audacior, adit Principem; plurimis in Agrippinam, in Neronem criminationibus, vetera odia, recentes iras inflammat: tum iiſdem ſceleribus Druſum innectit; aetate tamen imparem, ſibique junctum thalamo paullulum excuſat, ut magis urgeat. Indefenſus juvenis ſtatim in Urbem amovetur.

XIV. Satis Principi, non ſatis Sejano conſultum: animum injuria exacerbatum, Tiberii paenitentiam metuit; duoque imperii munimenta ſupereſſe invidet. Caſſium Longinum, conſulem, venali magiſtratu ſordidum, ad novam Druſi accuſationem ſubornat. "Juvenem, poena ferociorem, res novas moliri, & malevolorum civium gratiam populari ambitu aucupari", ad ſenatum retulit, Caeſarique ſcripſit conſul. "Nepotem, mitiore poena indignum, in ima palatii parte claudi; acri cuſtodia cingi: omniaque ejus facta & dicta excipi, deſcribi, ſibique mitti", a Principe reſcriptum.

XV. Imperatoriam dignitatem, ſenili capite & imbelli juventa ſubnixam, tandem in ſe totam inclinare Sejanus eo effuſius gaudebat, quod ſpes ſuas certus ipſe paſceret,

Digitized by Google

ſecurus ſeneſceret Tiberius. Ut ſuſpicacem ejus animum magis adhuc obfirmet, "ſapientia Principis oppreſſam ambitionem, dominationem adſertam, firmatam hereditatem, perennem imperii tranquillitatem", ei gratulatur. Caeſar, laudibus ſpernendis validus, ingenii tamen & dominationis commendationem laetus excepit; maximaque parte in Sejanum ceſſit, dictitans, "ſe ejus vigilantia defendi, conſiliis juvari, recreari obſequiis: in illo praecipuum eſſe imperii levamentum, ſenectae ſuae praeſidium". Verbis honores addit, ut, qui uſu neceſſarius, dignitate emineat.

XVI. Tum ruere omnes in Sejani venerationem: legationibus, gratulationibus, votis ſtudia oſtentat ſenatus, equeſter ordo, populus Romanus, plebs ipſa, novarum rerum intemperans. In foro, in templis, in privatis aedibus, ponuntur ejus ſtatuae: paſſim fumant altaria: dies ejus natalis celebratur: per Tiberii ac Sejani fortunam juratur: Princeps & amicus Principis diis commendantur, honoribus aequales, appellatione vix diſpares.

XVII. Adblandientis fortuna magna acceſſere ſubſidia, Aſinius Gallus & Lentulus

Digitized by Google

Gaetulicus. Ille, patre & uxore incertum an ſobole clarior, Sejanum ſectari, patrum obſequia adpromittere, tanto acrius, quod ob cauſas ſupra memoratas Tiberio eſſet inviſus. Hic, legionum ſuperioris Germaniae legatus, Sejani adfinitatem ambire; ipſo Principe confcio, obtinere, & exercitus, in quorum cognomentum adſciſcebantur imperatores, pignus praemiumque adfinitatis, oſtentare. Numquam ſummae rei propior fuit Sejanus: at quo altior, eo magis in lubrico; eniti valuit, aſſequi non potuit. Cum callidum Tiberii ingenium haud alias magis innotuerit, nihilque ad memoriam, ad exemplum inluſtrius habeant Annales, id diligentius exſequar.

XVIII. Tiberius, graveſcente aetate, libidinum immodicus, principatus tamen minime incurioſus, ipſis etiam vitiis ad occulenda conſilia tutandamque dominationem utebatur. Specie quidem iners ſummam rerum Sejano permittebat, ſed numquam fuit oculatior, ut virum introſpiceret, quem ſocium dignitatis volebat, everſorem verebatur. Inclinatum ad ſuſpicionem animum advertit Gaetulici adfinitas, firmavit Aſinii ſtudium: & arte plurima, ipſa timoris cauſa in

diu

Digitized by Google

diu meditatam Asinii ruinam cessit; ita tamen, ut fides, si Sejano inesset, cresceret, perfidia, si qua foret, retardaretur.

XIX. Igitur cum Asinius Sejanum novis honoribus cumulandum censuisset, & adnuentibus patribus, Campaniam, ut Caesarem hac super re consuleret, esset profectus; perlatae Romam Principis literae, quibus "turbatorem Asinium, in Agrippina adulterum, suo Syriaco male contentum, & Sejani amicitiam Principi invidentem" accusat: "eum statim corripi; consulum, vel, Principe consule, praetorum custodiae tradi" jubet. Patres, gnari apud Caesarem moras verti in crimen, confestim mittunt praetorem, qui Asinium comprehendat.

XX. Ille ingruentis mali nescius, & a Principe honorifice exceptus, laetus mensae intererat, cum ei nuntiata senatus jussa. Principis conviva pariter & reus expalluit; jamque, ut liberis consuleret, extremam necessitatem parabat. Tiberius eum, "senatus, Sejani ac Principis gratiae certum, ad animi firmitudinem, accusationemque strenue repellendam", hortatur. At, cum Romam venit, nulla data defensionis facultate, adempto etiam sermonis & colloquii usu, spei egenus

Digitized by Google

clauditur, iis tantum, quibus vix viveret, mori tamen non poſſet, permiſſis. Syriaco, viro diſerto, nullius criminis reo, ſed ob Aſinii amicitiam inviſo, ſors laetior, deproperata morte, obtigit. Laetum enim interfici in hac gravi aetate, qua Princeps vita ipſa ſaevire coepit, eamque morte triſtiorem facere: numquam ſaevior, quam cum, ſupplicii parcus, mortem, ultimum malorum levamen, invidit; vitae uſuram in tormenta convertit.

XXI. Interim Tiberius, in majora intentus, ipſaque Sejani obſequia veritus, omnes pertentandi animos, & dominationem retinendi artes meditari; Sejanum explorare, circumſpectare vultus; dicta, facta, conſilia obſervare. At hominum callidus, eoſque, adverſis cautos, dubiis obſcuros, proſperis totos patere certus, iis graſſatur, ut vel inviolatam ejus fidem aperiat, vel perfidiam proſperitatis mole obruat. Sejanus numquam viſus carior; Principis continuus & intimus, ob laboris patientiam, animi vigorem, egregiam modeſtiam, novis in dies honoribus mactatur: in conſcientia arcanorum, & reipublicae capeſſendae cura innectitur: conſul, collega Principe, deſignatur: Livia, quon-

Digitized by Google

dam negata, permittitur: omnia principatus auctoramenta cumulantur, ut principatu certius excidat.

XXII. Ipse impar tantis artibus, Caesarem venerari, Caium spernere, spes ostentare, sibi invisos opprimere, clientium vota excipere, multa elargiri, plura adpromittere, luxu & otio Principem inumbrare: laetissimo Tiberio, qui male tectam mentem, & crescentibus honoribus, in certiora indicia cito erupturam introspexerat.

XXIII. Inter hos fortunae lusus, & suspicacis Principis simulationes, Velleius Paterculus, scriptor elegantis ingenii, sed hominum rudis, laudis & favoris avidus, ingentia populi Romani facta brevi libello complectitur: totque saeculis, tot victoriis partam imperii majestatem, in Tiberio comprehensam, a Sejano sustentatam, exhibet. Adulationem, vel in volucribus verbis infamem, scriptis cum summo nominis sui & historiae dedecore perennem fecit: fato odioque Sejaniano semper premendus, damnandus semper, sed ob curiosos laudum homines & deformem scriptorum servitutem, paucos ingenii, plurimos adulatoriae foeditatis imitatores, pari cum opprobrio, semper habiturus.

Digitized by Google

AN. V. C. DCCLXXXIV. AER. CHR. 31.

XXIV. Tiberius Caesar V & Aelius Sejanus consulatum acerrimis, sed diversissimis, utriusque votis expetitum iniere; Tiberius Capreis, Sejanus Romae. Numquam laetior, aut splendidior Urbis facies. In consulem, quem futurum mox dominum suspectabat, intenta, Principis ferme oblita, Sejanum veneratur eo demissius, quod novorum hominum facilis offensio, gratia difficilis, atrox superbia, odium pervicax. Omnes consulis foribus adsistere, ejus libertis ac janitoribus notescere, eum adspicere, ambire, salutare, ex ejus adloquio & nutu ingentes spes agitare. Omnium vocibus, omnium laudibus celebratur; & quem adhuc pudet in hac servitii cruditate numinis cultum praesenti offerre, is ad ejus imagines sine verecundia defertur.

XXV. Tanta Urbis studia haud miratus Princeps, sed cautior, L. Pisonem, patre censorio nobilem, ob rarissimum luxus ac virtutis temperamentum, & nullam inter acerrimas curas occupationis ostentationem acceptissimum, secretioriqué imperii in Urbis praefectura participem, vigilantiae admonet: consulis colloquia, senatorum obsequia, equi-

Digitized by Google

tum vota, populi dicteria, rumores omnes clam anquirit, offensionum negligens, ut plures futurorum exitiorum causas habeat: ipseque novam obsequiorum materiem addit, missis ad senatum literis, quibus "Sejani fidem curasque" commendat; & "eum insignem principalium onerum adjutorem, imperii socium, Sejanum suum" appellat.

XXVI. Consul, ut truculento Principi grates agat incertum, an ut simultates faciat, primores illi invisos corripit, & fictis criminibus damnatos interficit. Hos inter Geminius Rufus, majestatis postulatus, senatum adiit, &, ut Caesarem liberis suis placabilem redderet, testamentum recitavit, quo eum, partita hereditate, liberis exaequabat. Id haud satis virile habitum: domum itaque, lata nondum sententia, regressus, & quaestorem, supremae necessitatis nuntium, oppertus, ubi eum vidit, gladium sua in viscera direxit; vulnusque ostendens: "Refer", ait, "senatui, sic virum occumbere". Publia Prisca maritum aemulatur: in jus vocata, curiam venit; ibique, pugione, quem sinu occuluerat, adacto, mortua corruit.

XXVII. Sejanum, tot funeribus dominationi inhiantem, ad magnas spes casu an

Digitized by Google

consilio patres erexere. Ejus enim favore & Caesaris literis permoti, quid summum in adulatione valeant, consultant. Visum "praecellentem, sed brevem, esse consulatus dignitatem: consultissimum fore, si prorogaretur". Decretum itaque "Caesarem ac Sejanum per quinquennium consulatum continuaturos; & iis, cum Romam intrarent, senatores obviam processuros". Sejanum, honoris recentem, & excelsa pedetentim, non cursim, peti nescium, obcaecat dignitatis diuturnitas, Principis senecta; jamque summam spem praecipit.

XXVIII. At ubi senatusconsultum ad Caesarem perlatum, quantum e republica peteretur, persensit: ne tamen ambitionem aut facilitate provocaret, aut repulsa inritaret, rescripsit, "in hac optimorum senatorum multitudine, imperii amplitudine, sapienter a majoribus provisum, ut ne annuus quidem esset consulatus: quinquennali dignitate egregios viros virtutis praemio, provincias rectoribus privari: consulendum non quid sibi, quid suo Sejano sit honorificentius; utrique rempublicam laude sua potiorem esse". Hic Sejano favoris, tot sceleribus parati, finis: declinare coepit; tanto citiore lapsu, quanto altiore, ruiturus.

Digitized by Google

XXIX. Suffecti VII Idus Maii consules Cornelius Sulla & Sexteidius Catullinus. Sejanus, vel exuta dignitate, potentia haud impar Principi, id maxime sategit, ut Capreas repeteret, senem certius obsequiis devincturus, vel facilius, si facultas daretur, oppressurus: "morbum Liviae, diuturnam absentiam, suum in Caesarem studium" obtendit. Callidior Tiberius "urbana negotia, suumque Romam reditum" objicit: mox datis ad senatum literis, Sejanum oblique perstringit, vel laudando modice, vel maligne silendo: deinde ut pronos ad nova animos incitet simul ac retardet, modo se "annis & morbo gravem, in principalibus curis opis alienae indigum" simulat, modo se, "refectis viribus, & confirmata valetudine, quam primum Romam venturum, & reipublicae consulturum" nuntiat.

XXX. Prudentibus, sed paucis, suboluere Principis consilia: ceteros divisa in Caesarem & Sejanum principatus potentia inludebat: ipseque Sejanus, bona inter & mala licet ambiguus, spe dominationis, qua ambitiosis in pectoribus nihil tenacius, prolectabatur. Caesar, ut occultiores sensus tandem extruderet, eum honoribus pariter & aemu-

Digitized by Google

latione adgreditur; ipſum enim ejuſque filium ſacerdotiis exornat cum Caio, quem, Capreas accitum, moxque ſumpta toga, ut futurum heredem, laudavit. Aemulum, fortunaeque oſtentatum, juvenem, nimia populi in revireſcentem Germanici domum ſtudia invidit Sejanus. Patres vero, ad deforme obſequium ſemper projecti, nec artium callidi "proconſulare imperium" illi decrevere; "eumque in poſterum conſulibus exemplar proponendum" cenſuere: invidiam mollivit aucta dignitas, ſerviliſque adulatio. Sed mox timorem addidit Princeps, cum Hiſpaniae aliarumque provinciarum rectores, Sejano infenſos & criminum poſtulatos, abſolviſſet.

XXXI. Tum paenitere, quod in conſulatu, demiſſaque in ſervitutem civitate, nihil adtentaſſet: dubias tamen ſpes paullulum firmavere Caeſaris ad conſules literae, quibus appellato quidem Sejano, minime tamen laudato, Neronem, atrocius increpitum, "hoſtem judicari & necari" juſſit. At inconſultos, ob caedem tamdiu expetitam, laetitiae ſenſus brevi temperavit, & terrores vividius incuſſit. Gnarus enim, imminuta veneratione imminui homines dignitate, quam virtute, majores, imperavit, "ut nemini mor-

Digitized by Google

tali ſacrificaretur; in ceteris etiam Principis honoribus modus foret: nihilque novi de iis referretur". Haec quidem obſequia ſpernebat Caeſar, principatus, quam religionis, ſtudioſior: ea vero ambiebat Sejanus, ſui cultor ipſe & numen, religione ad principatum uſus, & adorata capita odioſius evileſcere neſcius.

XXXII. Sublato Sejani cultu, & infracta paullatim potentia, ardentiora fuere in Caium, ipſumque Principem, Germanici domui aequiorem, ſtudia. Caeſar, animorum inclinatione laetus, heredis certus, de ſe ſecurus, Sejanum ad fidei perfidiaeve extrema impellit; ejuſque intimos criminum poſtulat, morte adficit; in imperii tranquillitatem haud alias intentior. Diſſimulatione & patientia ſuſpicacem Principem oppreſſiſſet Sejanus: ſed urgebant fata, ſceleribus gravida; & laevam mentem in conjurationem adegere. "Spes vaneſcere, ſe peti" infremens, praetoriiſque cohortibus ſuperbus, ſenatores, equites, libertos, criminum ſocios, Principi inviſos, ſollicitat & nefario foedere inligat; atrocior ſimul ac felicior, quam ut infauſtis, quae tum percrebuere, portentis retardaretur. Sceleris horrore dubium an

Digitized by Google

praemiorum ſpe, conjurationis indicium apud Antoniam Satrius Secundus, Sejani cliens, profeſſus eſt.

XXXIII. Antonia, grandi animo, nec minore in Caium, nepotem, caritate, miſſis per Pallantem, ſervorum ſuorum fidiſſimum, literis, crimen Principi demonſtrat. Tiberius, quamquam ad omnes eventus caſuſque paratus, periculum exhorruit: invicta tamen mente ſolitas moras vincit, & promptiſſimas opprimendae conjurationis vias meditatur: Sejanum exoſus, praetorianos metuens, ceteros aſpernatus, praetorias cohortes in obſequio praemiis retinere, Sejanum ſupplicio infamare ſtatuit: ceteros imbelles in poenas ultro venturos.

XXXIV. Tum conſules erant Memmius Regulus & Fulcinius Trio: hic Libonis accuſatione & Sejani favore infamis; ille paullo ſegnior, ſed auctoritate & conſtantia egregius; ideoque delectus, qui Sejanum circumveniret. Mox Caeſar Sertorium Macronem, ſecretorum participem, advocat, cohortibus praetoriis praefectum deſtinat; explicatis conſiliis, datiſque literis, Romam mittit; monetque (id enim quidam tradidere) "ut, ſi quid tumultus in Urbe oriatur, armaque

Digitized by Google

ab Sejano tententur, Druſum, in palatio clauſum, educat, & ducem populo imponat".

XXXV. Macro, Urbem noctu ingreſſus, Principis juſſa cum Memmio Regulo, conſule, & Graecino Lacone, vigilum praefecto, communicat; ceteraque ad Urbis tranquillitatem, Caeſaris ſecuritatem, Sejani exitium, providet. Interea Caeſar, in ſummo diſcrimine nullam ſatis magnam eſſe prudentiam certus, naves, quibus, ſi adverſa evenerint, ad fidiſſimas legiones perfugiat, aptare; ipſe ex altiſſima rupe, ſigna, quae, ne nuntii morarentur, ad ſpei timoriſve indicia tolli mandaverat, ſpeculari.

XXXVI. Tandem feralis inluxit dies. XV. Kalendas Novembris, vocati patres in aedem Apollinis, palatio vicinam, convenere. Sejanus ipſe venit, praetorianis ſtipatus; palatium ſubit, viſoque Macrone, nihil literarum a Principe ad ſe allatum ſtupet. Ad cum veneratione a Macrone ſalutatus, ſecretoque monitus, "ſe tribuniciae poteſtatis collegam a Caeſare deligi, mox dandas conſuli, qui ad patres referret, Principis literas", aedem intrat, quod ſumma tandem adeptus ſit, ſuperbus. Praetorianos ſtatim adloquitur

Digitized by Google

Macro, "Principem iis ſingula denariũm millia elargiri, ſeque eorum praefectum eſſe" nuntiat: deinde curiam ingreſſus, datiſque Principis literis, ad eos revertitur, & "ad caſtra ſimul pergere", jubet. Rei novitate laeti magis, quam attoniti, properant. Ubi receſſere, Laco vigiles aedi Apollinis circumdedit.

XXXVII. Tum flamma, ingentis pilae ſpecie viſa, ſtatimque evanida, vana & mira ſectantibus verſabilis fortunae fuit praenuntia. Patrum enim vota inter & obſequia, tribuniciam poteſtatem Sejano gratulantium, apertis Caeſaris literis, Memmius Regulus plurima de rebus ad rempublicam ſpectantibus legit; mox pauca & ambigua de Sejano, a patribus in melius accepta; deinde quaedam de Sejano triſtia, mirantibus patribus, ſeque nonnullis ab illo diſſociantibus; denique truculentiora, & Principis juſſa "ſenatores duos, Sejano intimos, plecti, Sejanum comprehendi" (eum enim, ne efferarentur animi, morte adficiendum ſecretioribus imperiis mandaverat): "ſe Romam modo venturum: alterum ex conſulibus mittendum, qui ſenem Principem, auxilii inopem, in conſpectum eorum cum militari praeſidio per-

Digitized by Google

duceret". Sejanus, ſtatim ſolus, & in ſubita vaſtitate trepidus, palleſcere; praetoribus ac tribunis plebis cinctus, exhorreſcere; ad vocem conſulis inclamantis, "Ades huc, Sejane", non faſtu, ſed parendi deſuetudine, & captus animi, auribus non competere. Conſule iterum & tertium, protenta manu, inclamante, "Adeſdum, Sejane", cum ſurgeret exanimus, Laco adſtitit, vimque paravit. Verſa fortuna, confeſtim ſenatorum confuſis clamoribus & maledictis undique impetitur.

XXXVIII. Memmius Regulus, ſtudiorum tamen & deliberationum incerta veritus, neque omnium ſententiam rogare, neque capitis inquirere: ſed ſenatore uno "vinciendum reum" illi adſentiente, jubet "vincla injici". Ipſo duce, ſtipantibus magiſtratibus, in carcerem trahitur. Diſrupto Sejaniano jugo, effuſa civitas omnia principatus facinora in Sejanum congerere, Principem laudare; plebs tanto inſolentior, quanto reus excelſior, ipſaque miſerior, laetari, inſultare, exprobrare crimina, ſpes inridere, &, ut ad infamiam pateat, velatam faciem retegere: diſcerpere imagines, ſtatuas devellere, raptare, confringere, &, quaſi in Sejanum ſaevirent, furere. Ipſe, in laberis praeteri-

Digitized by Google

tae fortunae reliquiis imminentium ſibi teſtis, clauditur.

XXXIX. Nec mora. Patres ad aedem Concordiae coacti, cum nihil turbaret populus, neque praetoriani apparerent, "ut properata Sejani morte Principi gratificarentur" cenſuere. Confeſtim, miſſo mortis exactore, ſupplicio adfectus eſt; & in Gemonias projectus, deos, ob fortunata ſcelera diu inviſos, abſolvit, ruina quam fortuna inſignitior. Poſt fata etiam ſaeviere patres: & ad abolendam exoſi hominis memoriam, factum ſenatuſconſultum, "quo Sejanus nemini lugeretur: ejus nomen faſtis & monimentis eximeretur: libertatis effigies poneretur in foro". Quae etiam nova, "diem feſtum, per cunctos magiſtratus & ſacerdotes celebrandum; ac per ſingulos annos, necis die, ludos & venationes, quae quatuor collegia ſacerdotum & ſodales Auguſtales ederent", decrevere: demum ut reſpublica auſis impudentibus haud ultra pateret, "ne quis in poſterum ad nimios honores eveheretur; neu per quemquam alium, quam per Imperatorem, juraretur", ſanxere: olim adulationis, nunc opprobrii immodici.

Digitized by Google

XL. Interim diverſi Urbis ſenſus: laeti, quicumque a Sejano vel injuria laceſſiti, vel in beneficiis omiſſi, vel fortunae inſolentia offenſi: triſtes vero ac trepidi, ſcelerum ſocii, conſanguinei, adfines, amici. In hac etiam rerum perturbatione, licet Urbis cuſtodia magiſtratibus omnibus a Tiberio fuiſſet demandata, tumultuantur praetoriani, indignati ſibi fide & obſervantia in Principem vigiles fuiſſe antehabitos; incendia, direptiones miſcent, dum populus in praecipuos Sejanianae ſaevitiae ſatellites inrumpit, & plurimorum morte vetera damna ulciſcitur.

XLI. Pacata demum Urbe, de Principis honoribus, Macroniſque & Laconis praemiis relatum: decretumque, "ut Caeſar pater patriae appellaretur; dies ejus natalis decem equorum certaminibus & ſenatus epulo celebraretur: conſul Memmius Regulus cum ſenatoribus, equitibus, & nonnullis e plebe legati Capreas mitterentur, & Principi providentiam ſalutemque publicam gratularentur". Magna vero pecuniarum vi munerantur Sertorius Macro & Graecinus Laco: huic quoque quaeſtoria, illi praetoria inſignia decreta: permiſſumque Macroni, "ut ſpectaculis inter ſenatores adſiſteret, ludiſque voti-

Digitized by Google

vis praetexta uteretur". Quos honores uterque, recentis exempli pavore potius, quam modeſtia, repudiavere.

XLII. At Tiberius, ſignis ſupra memoratis, mox nuntiis, eventum edoctus, haud magis ſecuritate ſua, quam diſſimulatione laetus, artes obfirmat: numquam obſcurior & ſecreti amantior: in villa Jovis per novem proximos menſes abditus, milites devinxit, dato Syriacis legionibus, quod nullam Sejani imaginem inter ſigna coluiſſent, donativo: legatos vero ſenatus ne excepit quidem. Memmium Regulum, conſulem, quod ſe, cum Princeps Romam peteret, itineris comitem offerret, repulit: honores quoque ſibi delatos aſpernatus, "ne de iis poſthac referretur" vetuit, metu incertum an ut ad Sejanianorum poenas patres acrius incenderet.

XLIII. Certe ut primum legati rediere, Caeſaris ſilentio, quam ullis umquam imperiis patres incitati, Sejani propinquos, adfines, intimos, corripiunt. In filium natu maximum, & Junium Blaeſum, avunculum, fortunae propiores, quam ut ſceleris puros, advertitur. Apicatam, mariti morte haud triſtem, filii, in Gemonias abjecti, viſus penetravit: ad ſcelerum Sejani & Liviae confeſſionem

Digitized by Google

feſſionem evicta, libellum de Druſi morte ejuſque interfectoribus componit, ad Caeſarem mittit; mox, ne filiis ſuperſtes vivat, ſe ipſa interficit.

XLIV. Caeſarem, in ſilentia obſtinatum, vicit accuſationis gravitas: ad ſenatum ſcribit, "manifeſtos mortis Druſi reos: aeque atrocia adverſum ſe adtentata": jubet "Eudemum ac Lygdum tormentis ſubjici: utriuſque conjurationis compertos opprimi". Tum publica in Sejanum odia recrudeſcere: invaleſcere Druſi deſiderium, Tiberii amor: confeſſione Eudemi ac Lygdi, qui Sejani ac Liviae facinora, & ab iis propinata Druſo venena patefecere, aucta miſeratio. Ipſeque Tiberius, virtutum, ubi artibus ſuis utiles, haud rudis, clementiae laudem obtinet, vita Liviae, infandi ſceleris convictae, ob Antoniae merita & virtutem permiſſa. Indulgentia Caeſaris abuti haud valuit; ab optima parente, ſed maximas pietatis partes in criminum vindicta poſitas rata, fame enecta. Illam a Tiberio interemptam quidam prodidere, nullum ab immiti Principe clementiae ſignum umquam editum opinati.

Digitized by Google

XLV. Demum in Sejani affeclas tota incubuit legum ſeveritas. Correpti quotquot ejus favore & ſocietate celebrati, niſi ipſi delatorum nomine & accuſationum atrocitate impunitatem mercarentur: in jus etiam retracti, olim accuſati, & ejus gratia abſoluti: ſenatores, equites, virile ac muliebre ſecus, in carcerem contruſi, aut apud magiſtratus vadeſve adſervati: plurimi, ne publicarentur bona, & infami morte dehoneſtarentur, ſibi manus intulere: ceteri damnati, & ſupplicio adfecti: nonnulli defenſionem ſuſcipere auſi.

XLVI. Quatuor & quadraginta orationes ſuper ea re habitae, ex quîs ob metum & ſcelerum memoriam paucae viriles, plures, adſuetudine ſervitii, imbelles. Orationem melius flexit Sejani amicorum integerrimus: crimina, quae nihil ad ſe pertinerent, ſiluit: ſacram intactamque amicitiam purgavit. "Numquam", inquit, "Sejani amorem, mihi pudorem, aut Sejano invidiam allaturum cenſui: ejus amicitia ad reipublicae utilitatem ſum uſus. Verſa eſt fortuna; & ille quidem, qui collegam & generum adſciverat, ſibi ignoſcit: ceteri, quem per dedecora fo-

Digitized by Google

vere, cum scelere infectantur. Caesarem absolvit, experta per sexdecim annos, Sejani fides. Hos arguit probrosa adsentatio. Me sacra amicitiae jura tueantur. Miserius sit ob amicitiam accusari, an amicum accusare haud discreverim: prius expertus, posterius horresco: nec me degenerem reperient vitae extrema. Vixi insons, haud moriar ignobilis. Non crudelitatem, non clementiam cujusquam experiar, sed liber & mihi ipsi probatus anteibo periculum. Vos obtestor, ne memoriam nostri per moerorem quam laeti retineatis, adjiciendo me quoque iis, qui fine egregio publica mala effugerunt".

XLVII. Tunc singulos, ut cuique adsistere, adloqui animus erat, retinens aut dimittens, partem diei absumpsit; multoque adhuc coetu & cunctis intrepidum vultum ejus spectantibus, cum supersesse tempus novissimis crederent, gladio, quem sinu abdiderat, incubuit. Neque Caesar ullis criminibus, aut probris defunctum insectatus est, cum in Blaesum multa foedaque incusaviset.

XLVIII. Relatum inde de P. Vitellio, & Pomponio Secundo: illum indices arguebant, "claustra aerarii, cui praefectus erat,

Digitized by Google

& militarem pecuniam rebus novis obtuliſſe"; huic à Conſidio, praetura functo, objectabatur "Aelii Galli amicitia, qui, punito Sejano, in hortos Pomponii, quaſi fidiſſimum ad ſubſidium, perfugiſſet": neque aliud periclitantibus auxilii, quam in fratrum conſtantia fuit, qui vades exſtitere: mox, crebris prolationibus, ſpem ac metum juxta gravatus Vitellius, petito per ſpeciem ſtudiorum ſcalpro, levem ictum venis intulit, vitamque aegritudine animi finivit. At Pomponius, multa morum elegantia, & ingenio inluſtri, dum adverſam fortunam aequus tolerat, Tiberio ſuperſtes fuit.

XLIX. Placitum poſthac, "ut in reliquos Sejani liberos adverteretur"; vaneſcente quamquam plebis ira, ac pleriſque per priora ſupplicia lenitis. Igitur portantur in carcerem, filius imminentium intelligens, puella adeo neſcia, ut crebro interrogaret, "quod ob delictum, & quo traheretur? neque facturam ultra", &, "poſſe ſe puerili verbere moneri". Tradunt temporis ejus auctores, "quia triumvirali ſupplicio adfici virginem inauditum habebatur, a carnifice, laqueum juxta, compreſſam": exin oblifis

Digitized by Google

faucibus, id aetatis corpora in Gemonias abjecta.

L. Per idem tempus Asia atque Achaia exterritae sunt, acri magis, quam diuturno rumore, "Drusum, Germanici filium, apud Cycladas insulas, mox in continenti visum": & erat juvenis haud dispari aetate, quibusdam Caesaris libertis velut agnitus, per dolumque comitantibus. Adliciebantur ignari fama nominis, & promptis Graecorum animis ad nova & mira: quippe "elapsum custodiam, pergere ad paternos exercitus, Aegyptum aut Syriam invasurum" fingebant simul credebantque. Jam juventutis concursu, jam publicis studiis frequentabatur, laetus praesentibus & inanium spe; cum auditum id Poppaeo Sabino. Is Macedoniae tum intentus, Achaiam quoque curabat. Igitur, quo vera seu falsa anteiret, Toronaeum Thermaeumque sinum praefestinans, mox Euboeam, Aegaei maris insulam, & Piraeeum Atticae orae, dein Corinthiense litus, angustiasque Isthmi evadit: marique alio Nicopolim, Romanam coloniam, ingressus, ibi demum cognoscit, solertius interrogatum, "quisnam foret", dixisse, "M. Silano geni-

Digitized by Google

tum", & multis ſectatorum dilapſis, aſcendiſſe navem, tamquam Italiam peteret: ſcripſitque haec Tiberio: neque nos originem finemve ejus rei ultra comperimus.

LI. Exitu anni, diu aucta diſcordia conſulum erupit. Nam Trio, facilis capeſſendis inimicitiis, & foro exercitus, "ut ſegnem Regulum ad opprimendos Sejani miniſtros" oblique perſtrinxerat: ille, niſi lacefferetur, modeſtiae retinens, non modo retudit collegam, ſed "ut noxium conjurationis" ad diſquiſitionem trahebat. Multiſque patrum orantibus, ponerent odia in perniciem itura, manſere infenſi ac minitantes, donec magiſtratu abirent.

Digitized by Google

SVPPLEMENTVM
LIBRI SEPTIMI
ANNALIVM

BREVIARIVM

I. Nuntiata Romae Tiberii morte, timor, mox furor. II. Caius, Macronis artibus, Princeps appellatur. III. Funus Tiberii. V. Caii in matrem fratremque pietas. VI. Honores in Antoniam, Claudium, Caiique ſorores collati. VII. De his imperii auſpiciis publica laetitia. VIII. Inde fracta principatus vis & adfectata popularitas. X. Tiberii legata Caii liberalitate aucta. XI. In reges exteros, Agrippam & Antiochum, beneficentia. XII. Artabani obſequia. XIII. Felicitatem publicam verbis factiſque intendit Caius. XV. Templum Auguſti dedicatum: datum congiarium. XVI. Spectacula. XVII. Caio, ut Urbis reſtitutori, honores decreti. Hos inter ad ingenita vitia Princeps delabitur. XIX. Ejus morbus; Urbiſque dolor. XX. Caius convaleſcit, ſed mutato in pejus animo. XXI. Tiberium, Tiberii nepotem, interficit. XXII. In alios quoque crudelis. XXIII. Uxorem ducit Liviam Oreſtillam, quam mox repudiat. XXIV. Labantem famam propagata Saturnalium hilaritate ſuſtinet. XXV. Portenta tamen vulgari coepta. XXVI. Eorum invidia Principis popularitate & liberalitate depellitur. XXVII. At maleſana ejus mens nefariis Heliconis & Apellis artibus peſſumdatur. XXVIII. Effrena ſpectaculorum libido.

Digitized by Google

XXIX. Favet senatus; suaque inter funera plaudit populus. XXX. Macronis ejusque domus ruina. XXXI. Ut plures perirent, excogitata nova crimina. XXXII. Mors Drusillae. Immodesta Principis tristitia. XXXIII. Caelestes Drusillae honores. XXXIV. Livii Geminii adulatio. Publicum in exitium vertit Drusillae cultus. XXXV. Lollia Paullina Principi nupta, miro luxus apparatu. XXXVI. Data regna. XXXVII. Agrippa, Alexandriam profectus, ibi injuriis appetitur, Flacci Avillii temeritate, aut incuria. XXXIX. Poena Avillii. XLI. Publica opera laudabiliter suscepta, leviter omissa. XLII. Mortes laudesque Antoniae & Julii Graecini. Passienus heredis fraude enectus.

Haec fermè biennio gesta.

An. V. C.	Aer. Chr.		
DCCXC.	37.	*Coss.*	CN. ACERRONIO Proculo, C. PONTIO Nigrino.
DCCXCI.	38.	*Coss.*	M. AQVILLIO Juliano, P. NONIO Asprenate.

Digitized by Google

AN. V. C. DCCXC. AER. CHR. 37.

AVDITA Romae Tiberii morte, trepidatum ne nova abstrusiorque dissimulatio omnium ruinam pararet. Postero die, certioribus nuntiis, quo tardiora, eo acriora erupere odia; pudebatque, vel post fata, tristissimum Principem timuisse. Plebs, ut metus, sic laetitiae & spei immodica, gaudio furere: pars "Tiberium in Tiberim" clamitare; pars "Terram matrem, deosque Manes orare, ne mortuo sedem ullam, nisi inter impios, darent"; alii "uncum & Gemonias" cadaveri minitari. Omnes exacerbavit recens atrocitas: saevitum enim in damnatos, qui in diem decimum, quo de Tiberio erat nuntiatum, dilati, hominum fidem, absente novo Principe, implorabant. Inritis precibus, a custodibus, ne quid adversus constitutum sieret, sunt strangulati, & corpora in Gemonias abiecta, pristina crudelitate superstite.

II. Animos molliere literae Cali Caesaris ad senatum cum testamento Tiberii a Macrone adlatae. "Caelestes religiones avo deferni" mandabat: "se modo Romam venturum, & cum patribus de republica consul-

Digitized by Google

turum. Juvenem, Germanici filium, benevolentia foverent, consiliis regerent". Testamentum vero, quo Tiberius, biennio ante, duos nepotes aequis partibus heredes scripserat, Claudium in spem tertiam, legato etiam circa vicies sestertio, adsumpserat, rescindi, & Caium Principem appellari curabat Macro. De testamento & Caio Principe statim adsensere patres, principatus arbitrio superbi, veteremque ignominiam ulturi pariter & novum favorem eodem dedecore emercaturi. De mortui caelestibus honoribus post adventum Principis consultandum censuere.

III. Interim Misenо Romam Tiberii corpus per milites deportabatur. Effusus oppidorum populus densissimo ac laetissimo agmine undique adcurrit, ad novae dominationis obsequia, quam ad funerum sollemnia, paratior. Non lacrimis, non ploratibus, sed confusis in invisum Principem dicteriis, festis vocibus & laudibus Caii Caesaris, lugentis habitu funus prosequentis, omnia personant. Ipse incedens inter altaria & victimas taedasque ardentes & feralis pompae ministeria, sui fama fruitur, & in avum convicia majori moestitiae ac pietatis specie invitat.

Digitized by Google

IV. Urbem noctu ingreſſus, mane Tiberium, antequam publico funere cremaretur, plurimis lacrimis, modicis laudibus celebravit, magna de Auguſto, maxima de Germanico, nonnulla de ſe prolocutus. Mox cum patribus curiam ſubiit; paucaque & modeſta praefatus, imbellem coheredis aetatem querens, ſeque illi patris loco futurum pollicitus, inrumpente turba, inritaque Tiberii voluntate, Princeps omnium vocibus ſalutatur. Varia honorum nomina, Auguſto probata, a Tiberio ſpreta, in Caium, gliſcente ſemper adulatione, aggerantur. Modeſtiae retinens incertum, an ſimulator, omnia remiſit: ſtudia hominum, ob memoriam patris, miſerationemque prope adflictae domus, jam accenſa, omni genere popularitatis incendere eniſus.

V. Ut magis exardeſcerent, confeſtim Pandatariam & Pontias, ad transferendos matris fratriſque cineres, feſtinavit, tempeſtate turbida, quo magis pietas emineret: adiitque venerabundus, ac per ſemet in urnas condidit. Nec minore ſcena Oſtiam, praefixo in biremis puppe vexillo, & inde Romam Tiberi ſubvectos, per ſplendidiſſimum quemque equeſtris ordinis, medio ac frequenti die,

Digitized by Google

duobus ferculis mauſoleo intulit: inferiaſque his annua religione publice inſtituit: matri Circenſes, carpentumque, quo in pompa traduceretur, addidit. In memoriam quoque patris Septembrem menſem *Germanicum* appellavit, caeleſtium religionum, quas avo petierat, plane incurioſus.

VI. Eodem in domus ſuae ſuperſtites ſtudio, Antoniae, aviae, quidquid umquam Livia Auguſta honorum cepiſſet, uno ſenatuſconſulto congeſſit: patruum Claudium, equitem Romanum ad id tempus, collegam ſibi in conſulatu deſtinavit: fratrem Tiberium die virilis togae adoptavit, appellavitque "principem juventutis". De ſororibus auctor fuit, ut omnibus ſacramentis adjiceretur, "neque me liberoſque meos cariores habeo, quam Caium & ſorores ejus": conſulum vero relationibus, "quod bonum felixque ſit C. Caeſari ſororibuſque ejus", praemitteretur.

VII. Haec imperii primordia, bonum inter ac malum ambigua, & principalibus curis minora, populus, virtutum rudis, admirari, tamquam felicitatis omina extollere, diis grates agere tam immodice, ut tribus proximis menſibus, ac ne totis quidem, ſupra centum ſexaginta millia victimarum ceciderint. Cae-

Digitized by Google

sar, insita levitate, & adulantium lenociniis vanus, insuper opibus a Tiberio acervatis tumens, ad solita juvenum Principum vitia divertere: nova sectari: superioris principatus aequa & iniqua pariter immutare: laudes potius, quam dominationem aucupari.

VIII. Nihil jam pristinae severitatis reliquum. Damnati relegatique ullo fine discrimine restituuntur. Criminum, quae ex priore tempore superant, gratiam facit; ne domesticarum quidem injuriarum memor, commentarios, ad matris & fratrum causas pertinentes, convectos in forum, obtestatus deos, "neque legisse, neque attigisse quidquam", concremat. Titi Labieni, Cordi Cremutii, Cassii Severi scripta, senatusconsultis abolita, requiri, vulgari, passim lectitari probat, dictitans "sua interesse, ut facta quaeque posteris tradantur".

IX. Auctoritatis aeque negligens, voluit ut "magistratibus libera foret jurisdictio, & sine sui appellatione: populus, more comitiorum revocato, ferret suffragia; rationesque imperii, ab Augusto proponi solitae, sed a Tiberio inter arcana habitae, publicarentur". Adversus ipsa vitia audax, nondum virtutis certus, spintrias, ne profundo mer-

Digitized by Google

geret exoratus, Urbe ſubmovit. Saeviit quoque in equites Romanos, equumque palam iis ademit, quibus aut probri aliquid, aut ignominiae inerat: ſi minore culpa tenerentur, eorum nomina in recitatione omiſſa.

X. Poenas, vitiorum dedecore, reorum dignitate, plebi haud illaetas, liberalitate adhuc exhilaravit, perſolutis Tiberii legatis, licet, inrito ejus teſtamento, fuiſſent abrogata. Populo CCCCL, praetorianis ſingula nummum millia, urbanarum cohortium & vigilum militibus quingenos nummos, legionariis, ceteriſque extra Italiam in numeros relatis, aut in minoribus oppidis praeſidia agitantibus, trecenos viritim elargitus, addidit ex ſua munificentia ſingulis praetorianis una ſeſtertia, populo ſexagenos denarios, quos, quod cum virilem togam ſumpſiſſet, promiſerat, & Tiberium veritus omiſerat, fenore quinum denum denariorum auctos cuique reddidit. Pari fide ac ſine calumnia Liviae Auguſtae legata, a Tiberio ſuppreſſa, exſolvit: ſingulari utriuſque Principis vitio, ille tarda liberalitate, hic praecoce prodigentia pariter damnandus.

XI. In partem laetitiae venere reges exteri. Agrippa, ſupremo Tiberii principatu

Digitized by Google

imperium Caio precatus, ob idque vinctus, libertatem recuperavit; & ad abolendam injuriae invidiam, simul & in neceſſitudinis praemium, catena aurea, ferreae aequipondio, donatus, rexque appellatus, Philippi ac Lyſaniae tetrarchias accepit. Antiochus in Commagenen, patre defuncto ad jus praetoris translatam, fuit reſtitutus: ejus quoque regno adjecta Ciliciae maritima; eique redditum ſeſtertium millies.

XII. Fauſtos novae dominationis nuntios, per provincias in majus diditos, audiit Artabanus, fugato Tiridate, receptoque regno ferox. Mox Vitellii artibus, & adverſus Tiberium odio potius, quam in Caium ſtudio, poſitis hoſtilibus animis, Euphraten tranſgreſſus, pacem paciſcitur: atque, ut interpoſitam fidem magis obligaret, Romanas aquilas, Auguſtique ac Caii imagines adoravit, liberoſque obſides dedit, dignitatis ſuae oblitus, ut veteres iras ulciſceretur.

XIII. Imperii, ob pacem inopinato firmatam exſultantis, laetitia increvit acceſſione conſulatus, quem Caius Claudiuſque Kalendis Julii iniere. Numquam acrioribus ſtudiis certatum, intentis ad beneficia conſulibus, civitate ad obſequia effuſa. Princeps in ſena-

Digitized by Google

tu orationem habuit, qua "Tiberium ſuſpicacem & obſcurum, libidinibus foedum, avaritia ſordidum, crudelitate atrocem, religionis incurioſum, reipublicae ſplendori infenſum" criminatus, adſeveravit, "ſe avi patriſque virtutes aemulaturum: inter exercitus eductum, ſenatus populique Romani alumnum, non ſibi, ſed patriae victurum: bonis ac miſeris facilem, ſceleribus tantum implacabilem, nihil dominationis uſurpare velle, niſi ut deûm ſaera, civium jura, publicam libertatem tueatur: ſatis magna fore, eaque una optare, principatus ſui decora, illaeſam imperii majeſtatem, & adſertam populi felicitatem". Haec quanto rarius audita, tanto avidius accepta. Et ne Principi, qui optimus videbatur, malo fieri liceret, decretum a ſenatu, "ut ejus oratio quotannis recitaretur": quaſi adultam dominantium licentiam moraretur priſtinae virtutis memoria.

XIV. Interim Caeſar, futurorum improvidus, factis magis, quam verbis, Tiberio invidiam movere; vetera odia renovare; ad liberalitatem, humanitatem, magnificentiam, aliaque ſuperiore principatu rara vel ignota, curas omnes convertere. Sublatum majeſtatis crimen: jus novum de ſervorum

in

Digitized by Google

m domini caput quaeſtione non modo antiquatum, ſed & mulier libertina, quod, tormentis excruciata, de ſcelere patroni reticuiſſet, octoginta millibus ſeſtertium donata eſt. Edebantur ludi; regaliaque impendia paſſim oſtentabantur. Inter haec ſpecioſiora tamen, quam laudabiliora, egregia vox excidit. Oblatum enim de ſalute ſua libellum non recepit Princeps, "nihil ſibi admiſſum" dictitans, "cur cuiquam inviſus eſſet; neque ſe delatoribus aures habere".

XV. Quaeſita quoque ex religione commendatio. Tertio Kal. Septembres, templum, quod Auguſto Tiberius ſtruxerat, a Caio, triumphali veſte induto, dedicatum eſt, virginibus puerisque nobiliſſimis hymnum cantantibus. Atque, ut ſollemnibus ſacris celebritatem adderet, ſenatui, equeſtrique ordini, conjugibus etiam ac liberis ſplendidiſſimum epulum, congiarium populo trecenos ſeſtertios, dedit. Hilaritati quoque publicae omnigenis muſicae concentibus, novatiſque ludis conſultum.

XVI. Poſtridie laetiora adhuc rediere ſpectacula ob Principis natalem. Sejugibus, quod nemini hactenus uſurpatum, vectus prodiit. Ceterum nihil oblitus, quo mode-

Digitized by Google

ſtiam popularitatemque teſtaretur, ne ſignum quidem ludorum dedit, ipſe tamen, circumſtantibus ſororibus ſodalibuſque Auguſtalibus, ſpectator: vetitis omnibus, quae laetitiam imminuere; quae augere poſſent, permiſſis. Supra ſolitum equi certavere. Interjecta adhuc Trojae decurſio, tantaque venatio, ut CCCC urſi, totidemque aliae Libycae belluae, perierint.

XVII. Urbs, ſpectaculorum avida, & renaſcentis veteris ſplendoris imagine ſuperba, conceptas de Germanico, & Germanici ſanguine, ſpes memorare, ſuperatas praedicare. Quiſque, ut ingenio validus, privatos ac publicos honores excogitabat. Inter publicos, decretus clipeus aureus, quem quotannis collegia ſacerdotum in Capitolium ferrent, ſenatu proſequente, nobilibus pueris ac puellis, carmine modulato, laudes virtutum Principis canentibus; decretum quoque, ut dies, quo cepiſſet imperium, *Palilia* vocaretur, velut rurſus conditae Urbis argumentum.

XVIII. Conſulatus, non vero laetitiae, finem fecere conſules ſuffecti Idibus Septembris. Diffuſa etiam per provincias feſtivitate, ubique tanto hilarius victitatum, quanto

Digitized by Google

moeſtior fuerat morum auſteritas, imperitante Tiberio. At Princeps, natura imbutus malis artibus, mentitas ob avi metum ſpecies virtutum ponere: primo conviviis, mox ſcortis, deinde luxui ita indulgere, ut centies ſeſtertio cenaverit, & immenſum illud Tiberii vicies ac ſepties millies ſeſtertium ferme abſumpſerit.

XIX. Morbus, libidinum comes, artus, olim cardiaco morbo debilitatos, nunc ebrioſitate, ac turpiore intemperantia corruptos, inceſſit. Vitiis adhuc ſecretis, paſſim publicatis virtutibus, quaſi parens patriæ ipſaque reſpublica periclitarentur, ſumpto juſtitio, cunctis circa palatium pernoctantibus, comploratum. Studia civium adeo erant incenſa, ut P. Afranius Potitus, plebeius homo, caput ſuum pro ſalute Principis voveret; Atanius Secundus, eques, gladiatoriam operam promitteret. Provincias, navibus ineunte autumno ex Italia remeantibus, periculum ſtatim edoctas, idem luctus occupat.

XX. Recreata Caii valetudine, ut plura ſunt gaudii, quam moeſtitiae, ſigna, nec jam incerta adulatio, effuſior quoque exſtitit laetitia. At mentes gravius, quam corpora, ſaepe adfligit libido. Sano Caeſaris corpore,

Digitized by Google

mens aegra, nec remedii patiens, ad vitia delabi: gloriam, ambitionem, quibus ad infamiam, si a virtute deflexeris, nihil validius, sectari: nullus supra ceteros eminendi modus. Primumque scelus omnia vicit superioris principatus facinora.

XXI. Caius enim Tiberium, fratrem simul & filium, imperii aemulum veritus, ne scriptis quidem ad senatum literis, veluti sibi, cum morbo detinebatur, insidiatum, repente, immisso tribuno militum, inopinantem interemit: conscientiam criminis appellare ausus, quod Tiberius, ob assiduam & ingravescentem tussim medicamento usus, antidotum, quasi ad praecavenda venena sua sumptum, oboluisset. Quidam prodidere jussum cruentas manus sibi adferre, ne ab exactoribus violaretur Caesarum majestas: juvenemque, non modo sceleris, sed properandae etiam mortis rudem, caput percussoribus ultro obtulisse; iisque renuentibus, petiisse, "quam feriret corporis partem, ut vitam finire posset": edoctumque, adacto gladio occubuisse.

XXII. Princeps, umbratico crimine audax, nefanda publice adgreditur. Ab Atanio Secundo, quem supra memoravi, votum exi-

Digitized by Google

git, ſpectatque ferro dimicantem, nec niſi victorem, & poſt multas preces, dimittit. Afranium Potitum, mori cunctantem, verbenatum infulatumque pueris tradit, qui, votum repoſcentes, per vicos agant, quoad ex aggere praecipitetur.

XXIII. Triſtior M. Silani exitus. Is virtute, quam Imperatoria adfinitate, illuſtrior, monitoris partes, difficiles apud bonos Principes, apud malos funeſtas, agebat; veterique, qua apud Tiberium valuerat, auctoritati, & filiae ſuae Claudiae recens mortuae deſiderio confiſus, Principi, quem nondum libidinis firmum rebatur, idemtidem memorabat "virtutibus partos populi amores, proxima vitiis odia". Caius monitorem, tunc importunum, &, ſi diutius viveret, gravem, primo contumeliis, deinde calumniis laceſſit; cumque Julium Graecinum ad viri optimi accuſationem incitare non poſſet, ipſe cauſatus, "quod Silanus ingreſſum ſe turbatius mare non eſſet ſecutus, ut ſi quid ſibi per tempeſtates accideret, Urbem occuparet", eum ad necem ſecandaſque novacula fauces compulit. Mox Liviam Oreſtillam, Calpurnio Piſoni nuptam, uxorem cepit; & proximo die edixit "matrimonium ſibi repertum

Digitized by Google

exemplo Romuli & Auguſti": deinde intra paucos dies eam repudiavit.

XXIV. Ad haec populus ſtupere: nihil queri; in recentes adhuc virtutes defixus, & ſeveritatis cauſas fingere potius, quam mutatum Principem credere, docilis. Caeſar ipſe, nondum atrox, nec incallidus, deficientibus ceteris virtutibus, popularitatem ac liberalitatem retinebat: &, ut ſe libertatis hilaritatiſque publicae vindicem oſtentaret, diem, quem appellavit *Juvenalem*, Saturnalibus in perpetuum adjecit. Olim, vivida adhuc libertate, ea ſemper optatae, numquam expertae, felicitatis monimenta uno tantum die fuere celebrata: duos addidit Julius Caeſar, imminente ſervitute: illa vigente, quarto ac demum quinto crevere. Nec umquam laetior fuit libertatis memoria, quam cum nulla exſtitit libertas.

XXV. Aquillius Julianus & Nonius Aſprenas, ſuperiore principatu deſignati, conſulatum ineunt. In acta Auguſti Caiique juravere, omiſſo Tiberio, Germanici domus everſore: id moris invaluit; nec ejus nomen in jurejurando poſtea recitatum. Conſules ceterique ſacramento addidere "ſibi Caium ejuſque ſorores ſe ſuiſque liberis cariores fore":

Digitized by Google

ac vota pro iis omnibus pariter concepta. Quod tamen in ancipiti re & turbarum initiis ſolet, quidam portenta differre: "Machaonem, ſervum, ipſis Kal. Januariis lectum Jovis Capitolini conſcendiſſe, multa diraque vaticinatum, ſibi necem intuliſſe".

XXVI. Haec ſpreta, laetioribus auſpiciis, effuſaque Principis liberalitate; tumque primum publicatae imperii rationes, & comitia ad campum revocata. Multa quoque populariter actitata. Juſſit enim Caeſar milites incendia reſtinguere; & damnum paſſos pecunia levavit. Provincias beneficiis devinxit; & multos extra Italiam, adfinitatibus & opibus validos, in equeſtrem ordinem adlegit, luxu & recognitione ſupra memorata deminutum: nonnullis etiam, licet nullum magiſtratum geſſiſſent, uſum ſenatoriae veſtis, in ſpem dignitatis, conceſſit; atque ut levior foret judicum labor, ad quatuor priores quintam addidit decuriam. Quod vero fuit populo Romano acceptius, ducenteſimam auctionum Italiae remiſit.

XXVII. At extremos vix ſanae mentis igniculos oppreſſere homines duo, ad Principis dedecus & imperii exitium nati, Helico & Apelles. Hic, patria Aſcalonita, ſtupris

Digitized by Google

ac ſcenicis operis infamis: ille, origine Aegyptus, ſcurrilibus jocis & veteratoria arte ſceleſtior. Caius, utrique mancipatus, civium famam, vitas, fortunas, vilia habere: turpitudinum probra oſtentare: ad ſcelera inſoleſcere: ſacra profanaque pro arbitratu vertere: idque nequitiae ſummum adſequi, ut, cum peſſimus ſtatim haberetur, fieret in dies pejor. Si quos puderet nos haec ſcribere, magis pudeat talem exſtitiſſe Principem, fuiſſe adhuc deteriores; quorum ſceleribus utinam hiſtoria eam infamiam inurat, ut pares numquam videat aetas poſtera!

XXVIII. Per deridiculum coepere inſanae dominationis vitia. Princeps ſaltatorias & ſcenicas artes, magiſtro Apelle, edoctus, imperii majeſtatem ac curas ſpernit: in ſpectaculis totus, lectiſſimas Aſrorum Campanorumque pugilum catervas advocat: feras ex Libya aliiſque longinquis regionibus arceſſit: in amphitheatrum, Tauri, in Circum, in Septa, horumque pertaeſus, ac ſubverſis domibus, in ſubitarias theatrorum machinas, ad gladiatoria munera, ad venationes, ad Circenſes, ſcenicos, Trojanos, naumachiarios ludos, penſilem populum Romanum circumfert. Haec diu, haec noctu, Urbe, ter-

Digitized by Google

rarum victrice, ad inania luminibus colluecente, Circo minio & chrysocolla constrato, aurigantibus senatoribus, ipso Principe argentei pegmatis agitatore.

XXIX. Vana quidem haec, nondum tamen infanda, sed brevi patrum adulatione in licentiam, populi plausu in turpitudinem corrupta. Patres enim, a Principe rogatos, haud puduit theatrales cruentasque leges scribere, & senatusconsulto decretum, "ne in gladiatoriis muneribus vir virum legeret, sed omnes proeliorum more confertim adpugnarent". Non jam fudore, at sanguine & morte certatur. Animarum vilitate, populoque ad sua funera plaudente, efferatus Princeps quosvis ad caedes postulat: sex & viginti equites funebri munere perimit. Cumque numquam sit crudelitatis satias, & aliquando damnati ad belluas haud sufficerent, jubet "spectatores corripi, praecisisque linguis", ut quaestus & miseratio intercludatur, "ad feras projici": nec vesano furori, nisi levioribus caedibus, temperat.

XXX. Macro primus in poenas ruit. Certus insanam dominationem, in suam, ejusque auctorum, ruinam vergere, Principem, quem ter morti, imperante Tiberio, subdu-

Digitized by Google

xerat, & ſummae rei admoverat, moderationis, clementiae, humanitatis monebat. Conſilia, ne in Silano quidem, ſocero, & expertae virtutis, tolerata, in Macrone, quondam adulteriorum ſuaſore, erant magis inviſa. Diſſimulavit tamen Caeſar, veteris gratiae memor, an praetorias cohortes veritus: mox, ut illum honorifice amoveat, Aegyptum ei deſtinat. At cum apud Principes gravis ſit beneficiorum memoria, & ſcelerum odia ſemper maneant, ſe tandem grati pariter & infenſi animi abſolvit, & Macroni ſupremam neceſſitatem indixit. Uxorem ejus Enniam, ſibi amore, antequam dominationis potiretur, inligatam, ſimul perculit: exciſa quoque ſobole, ut nihil odioſae domus ſupereſſet.

XXXI. Hactenus in privata, nunc in publica fata ſaevire coepit, ut exhauſtas opes reficeret. Senatoribus maxime ac ditiſſimis quibuſque incubuit, in eos, ſicuti Sejani clientes, matris fratrumque ſuorum delatores invectus: protulit libellos, quos ante crematos ſimulaverat: morbumque, quo fuerat ſuperiore anno conflictatus, plurimis in crimen capitis convertit. Nullus cognoſcendi ordo. Damnati & indemnati, publicatis bonis, ſi-

Digitized by Google

mili casu proſtrati. Principis rapacitate, & delationum impunitate ac praemiis excitabatur accuſationum licentia.

XXXII. Feriale malum haud mitigavit, accendit magis Druſillae obitus, quam Princeps ex ſororibus ſuis maxime deperibat. Caſſio Longino olim collocatam, deinde M. Lepido nuptam, abduxerat; auſuſque externorum regum exemplo in modum uxoris accipere, heredem bonorum omnium atque imperii aeger inſtituerat. Mortuam veſano moerore profecutus "juſtitium" quidem, "funuſque publicum" edixit: at eadem in luctu, quae fuerat in libidine, animi intemperie, nec exſequiis interfuit, nec juſta ſorori perſolvit: pudoris ita oblitus, ut, dum Urbis planctu omnibuſque triſtitiae imitamentis funerabatur, a M. Lepido laudata, ipſe in Albano ſuo tefferis, ac foro, aliiſque idem levitatis occupationibus, indecora captaret ſolatia.

XXXIII. Mox doloris impatiens, & ab hominum convictu profugus, barba capilloque promiſſo, Italiae ac Siciliae oras errabundus permetitur: mutato dein conſilio, Syracuſis propere Romam redit, certus non lugendam, ſed colendam ſororem. Quid-

Digitized by Google

quid honorum ſenatus Liviae tribuerat, ſtatim in Druſillam collatum, ſtatutumque "ut caeleſtes religiones haberet: aurea ejus effigies poneretur in curia; altera foret in aede Veneris, majeſtate ac cultu haud impar: templum quoque ipſi dicaretur: ſtatuas mulieres aeque ac viri conſecrarent: per ejus nomen jurarent feminae: dieſque natalis ludis, Megalenſium ſimilibus, ſenatus & equitum epulo celebraretur".

XXXIV. Per Urbem ac provincias percrebuit Druſillae honos. Nec puduit Livium Geminium, ſenatorem, maxima adſeveratione in ſenatu jurare, "ſe eam caelum aſcendentem vidiſſe". Licet ceteri deliramentum, adulationemve inriderent, decies ſeſtertio donatus eſt, pari Principis ac ſenatoris opprobrio. Quod vero hactenus inauditum, in civium funera ceſſit religio: ſi enim divam laeti colerent, in eos, uti ob mortem hilares, advertebatur; ſi moererent, quaſi numini parum devoti, plectebantur: ineluctabile utrimque fuit diſcrimen.

XXXV. In hac furioſa inconſtantia Princeps, firmus libidinum, Lolliae Paullinae ſubito amore exarſit. Avitarum opum haud minus, quam formae, appetens, eam,

Digitized by Google

Memmio Regulo, consulari, tum exercitus rectori, nuptam, ex provincia evocavit; perductamque a marito, ut illa, veluti patrio jure, cederet, sibi conjunxit. Singulari rapinarum foedere, sollemnis nuptiarum apparatus imperii Romani & Orientis divitias explicavit. Princeps prodigus corrasos caedibus ac proscriptionibus thesauros ostentabat: uxor smaragdis, margaritis, aliisque provinciarum spoliis, regumve Orientis muneribus, ab avo M. Lollio per nefas quaesitis, onusta spectabatur.

XXXVI. Male ominata conubii gaudia excepit digna vetere Roma, melioribusque temporibus scena. Caius, externis, quam domesticis, rebus intentior, gentes ac regna diribuit: nihilque priscae majestatis omissum. Ipse enim inter consules sellae curuli in foro insidens, velis sericis, ut quidam prodidere, interjectis, recitatoque senatusconsulto, Ituraeam Sohemo adsignavit: Cotyi Armeniam minorem dedit: Rhoemetalci Thraciam, ipsum inter & Cotyn antea divisam, integram permisit: Polemonem paterno regno donavit.

XXXVII. Placitum quoque, ut Agrippa, Principi intimus, acceptum anno supe-

Digitized by Google

riore regnum inviſeret, ſponſione prius facta, ſe, ubi primum per negotia liceret, Romam reverſurum. Puteolis profectus, Eteſiis flantibus, Alexandriam petiit; eum comiter excepit Flaccus Avillius, Aegypti praeſes: at dignitatis invidus, infenſuſque Judaeis, animos plebis, in exterorum inriſionem promptae, forte incendit, certe non coercuit. Eo crevit inſolentia, ut, regem inluſuri, quemdam inſanum, nomine Carabam, regio ornatu & comitatu extollerent, Marinque ſalutarent.

XXXVIII. Atrocitates privatis hominibus, nedum regibus, intolerandas acuere dira adverſum Judaeos, Alexandriae incolas, patrata facinora. Querebantur " pollutas proſeuchas; domos direptas; omnes fortunis deturbatos; gentis ſenatores verberibus caeſos; e populo plurimos occiſos, flammatos; ſe etiam a praeſide impeditos, ne Principem de honoribus, quos ei publice decreverant, certiorem facerent. Nihil denique crudelitatis intentatum, ut gens, vitae integra, Caeſarum reverens, periret". Agrippa, ſua offenſione, popularium calamitate exacerbatus, omnia Caio renuntiavit.

Digitized by Google

XXXIX. Haud exſpectato, uti moris erat, coeptae adminiſtrationis fine, Princeps ſtatim miſit Baſſum cum cohorte, qui Flaccum comprehenderet, Romamque perduceret. Centurio, Pharum advectus, Alexandriam clanculum ingreditur, Flaccumque imparatum & convivantem circumvenit, ſtupentibus omnibus, Judaeis eo laetioribus, quod ſcelerum poena in diem feſtum, primoribus gentis in vincula conjectis, omiſſum, incidiſſet. Turbida maris perpeſſus; ne quid adhuc acerbitatis deeſſet, accuſatores criminum, quos olim ſuaſores habuerat, Lamponem & Iſidorum, in Urbe reperit.

XL. Praeter criminationes ab Agrippa Judaeiſque oblatas, "Tiberii benevolentia, pro nepote vota, Macronis familiaritas; eo ſuperſtite, ſpes; occiſo, triſtitia; antea non male, poſthac ob vetera in Caium odia peſſime adminiſtrata provincia", aliaque multa objectabantur. Jamque Flaccum in inſulam Gyarum relegandum cenſebant, cum, deprecante M. Lepido, Andrum, bonis Principi ſepoſitis, deportatus eſt.

XLI. Dum ſenatus, punitis graſſationibus, provinciarum tranquillitati conſulebat,

Digitized by Google

Princeps Urbis decora, publicos usus, privatasque voluptates, novo artis miraculo promovebat. Majora enim, quam Q. Marcius rex, & avus suus Agrippa, molitus, arcus exstrui, montes perfodi, convalles aequari jussit, ut a lapide quadragesimo aquas Caeruleam & Curtiam, a sexagesimo Anienem novam, in Urbem perduceret, & ad eam excelsitatem levaret, qua in omnes ejus montes ad balinea, piscinas, domos, euripos, hortos, suburbana, villas, influerent. Quae quidem, quanto acrius suscepta, tanto levius omissa, maxima cum laude peregit Claudius.

XLII. Iis temporibus periere duo aetatis suae decora, Antonia & Julius Graecinus. Illa Antoniae, Octaviae, & Claudiae familiarum nobilitatem complexa, mariti & filii laudibus eminentissima, viduitatis sanctitate illustrior exstitit: sortis humanae claritatem supergressura, si Caium nepotem non habuisset. Eum imperio servavit, naturae obsequens: dum valuit, optimum Principem fecit: in dominationis libidines praecipitem, aviae monita declinantem, & erumpentem in ferale effatum, "memento omnia mihi, & in omnes licere", haud perpessa, taedio

Digitized by Google

taedio contabuit, vel, dato, ut quidam putant, veneno, occubuit: morte aeque ac vita celebris; negatis post mortem honoribus, fama celebratior.

XLIII. Julius Graecinus fuit dignitate, non virtute, impar: eloquentiae & sapientiae studiis, animi excelsitate, luxus contemptu, incorrupta libertate egregius. Senator, civisque melior, quam esse quemquam Caio expediret, ab eo interfectus est, quod, jussus M. Silanum, nullius criminis noxium, accusare, abnuerat. In tanta vitae mortisque laude, majorem adhuc, ob egregias filii sui, Cn. Julii Agricolae, virtutes, gloriam adsecutus. Tristius periit Passienus, heredis suae fraude enectus.

Digitized by Google

SVPPLEMENTVM
LIBRI OCTAVI
ANNALIVM

BREVIARIVM

I. Mutua Principis & populi Romani odia. II. Caius, vana auri ſpe inluſus, ſceleribus opes quaerit. IV. Ejus prodigalitas, & in equi honoribus inſania. V. Fortunae omnes everſae. VI. Atroces in ſenatum criminationes. VIII. Imminentem ruinam patres adulatione avertunt. IX. Stulta Principis conſilia: pons Puteolanus: triumphatumque mare. XV. Tum Caius, Xerxe major, Alexandrum cruenta ebrietate aemulatur. XVI. Non jam in opes, ſed in vitas involat. XVII. Herodes, Galilaeae tetrarcha, ejuſque uxor Herodias, regni cupidine, in exitium ruunt. XIX. Mox ipſa ingenia in poenas vocata; ideoque rei Seneca & Domitius Afer. XXI. Comitia e campo ad ſenatum iterum translata. Multata Africa. XXII. Caius, obtrita Italia, ad Gallias Hiſpaniamque animum convertit, obtentu Germanicae expeditionis. XXIII. Vana belli imago, turpiſque pavor. XXV. Falſa victoria, Romae tamen & in provinciis celebrata. XXVII. Adverſus Principem conjurationes. Ob id Lentulus Gaetulicus & Aemilius Lepidus morte, Julia & Agrippina exſilio puniuntur. XXIX. Caius conſulatum Lugduni ſolus init. XXXI. Ibi literarios edit ludos. XXXII. Lucroſa, ſed foeda, negotiatio. XXXIV. Ptolemaeus vita, Antiochus regno orbati. Mithridates in vincula conjectus. XXXV.

Digitized by Google

Expilatis Galliis, Britannica expeditio ſuſcepta, & ridicule acta. XXXVIII. Princeps a Brinione, Caninefate, inridetur. XXXIX. Triumphi adparatus. XL. Atrocia adverſus Germanicas legiones conſilia, impedita Principis ignavia. XLI. Nova adverſus ſe natum odia. XLII. Caius ovans Urbem ingreditur. XLIII. Conjuratio prodita. Sexti Papinii aliorumque ſupplicia. XLVII. Princeps, formidine excruciatus, diſcordia ſecuritatem molitur. XLIX. Senatus, luctu amens, in ſuos ſaevit. L. Honores Caio decreti. LI. Deus appellatur. LII. Deum quoque ſe fingit, & colitur, hominibus diiſque iniquus. LVI. Judaeorum legatio. LVII. Petronius Caii coloſſum in templo Hieroſolymitano ponere jubetur. LIX. Hac de re Agrippae preces. LX. Judaeorum legati ad orandam coram Principe cauſam admiſſi & inriſi. LXVI. Apelles malarum artium poenas luit. Pontius Pilatus ſe ipſe perimit. LXVII. Vulgata portenta. LXVIII. Caſſius Chaerea adverſus Principem conſpirat. LXXI. Conjuratorum conſilia & metus. LXXIX. Chaerea Caium interficit. LXXX. Caii forma & mores.

Haec triennio geſta.

A. V. C.	Aer. Chr.		
DCCXCII.	39.	*Coſſ.*	C. CAESARE Aug. II, L. APRONIO Caeſiano.
DCCXCIII.	40.	*Coſ.*	C. CAESARE Aug. III.
DCCXCIV.	41.	*Coſſ.*	C. CAESARE Aug. IV, CN. SENTIO Saturnino.

Digitized by Google

AN. V. C. DCCXCII. AER. CHR. 39.

CAIO Caesare secundum & L. Apronio Caesiano consulibus, mutua Principis & populi Romani odia exarsere. Populus, stultae laetitiae turpisque patientiae pertaesus, ludos sanguine suo imbutos horrere, dominationis licentiam arguere, invisum delatorum genus inceſſere. Princeps, exercitatus in audaciam, juratas leges spernere, diurna, nocturna, semper cruenta, spectacula iterare, cuncta trahere in crimina, cogitationes ac curas ad suam securitatem & servitutem publicam convertere.

II. Iis dissensionibus utrimque certabatur, cum Caius, spectaculorum solitudine atrox, consulatu se abdicavit pridie Kalendas Februarii; suffectoque Sanquinio Maximo, Urbis praefecto, in Campaniam secessit. Dein Romam regressus, ut Drusillae diem natalem celebraret, ad majorem ludorum insaniam provolvitur: nec minori pecuniae parandi cupidine flagrabat. Sed delusa aurum faciendi spe, quam fallax hominum genus, Principibus in portentosas novitates ultro praecipitibus amicum, inflaverat, ad notas

Digitized by Google

certaſque praedandi artes animum advertit. Antea jam edictum, "ut omnes, qui Tiberium heredem deſtinaſſent, morituri bona Caio legarent": additum, "teſtamenta primipilarium, qui a Germanici triumpho ad id temporis Principem heredem non reliquiſſent, ut ingrata, reſcindi". Acrius ſaevitum in mancipes, ceteroſque viarum curatores, quos, quaſi publicas pecunias in uſus ſuos corrupiſſent, fortunis exturbavit Cn. Domitius Corbulo, iiſdem damnationibus, ſuperiore principatu, infamatus.

III. Haud puduit ipſum Principem, revocato veteri more, "ut duo praetores gladiatoria munera ſortirentur", ludos licitari: gladiatores (facta cuivis copia, plures, quam per leges fas erat, emendi) conſulibus, praetoribus, ditiſſimis quibuſque, volentibus aut invitis, vendidit, pretia uſque eo extendens, ut nonnulli emere coacti, & bonis exuti, venas ſibi inciderent: fraudulenter etiam inrepebat, uti compertum de Aponio Saturnino, quem cum Caius inter ſubſellia dormitantem vidiſſet, praeconem monuit, "ne praetorium virum crebro capitis motu nutantem ſibi praeteriret". Nec licendi finis factus, quoad tredecim gladiatores vix exper-

Digitized by Google

gito, & ignoranti, seſtertio nonagies addicerentur. Nondum rapacitati satis: gladiatores, equos, agitatores venditos veneno eneeabat, ut alios emptitare cogeret.

IV. Hanc quoque luxuriae vesaniam laudibus, studiis, ac praemiis incendebat: ipse Prasinae factioni ita addictus, ut in ejus stabulo assidue cenaret, & agitatori Eutycho comessatione quadam in apophoretis vicies seſtertium conferret. Cum vero in libidine numquam sit modus, equum suum, quem *Incitatum* appellabat, civilibus honoribus extulit. Praeter equile marmoreum, & praesepe eburneum, purpureaque tegumenta, ac monile ex gemmis, domum quoque & familiam & suppellectilem dedit, quo lautius nomine ejus invitati exciperentur. Quandoque etiam eum ad cenam vocabat, inaurato hordeo adposito, vinoque poculis aureis ministrato: per ejus salutem & famam jurabat; consulque destinabatur, magna Principis, majore adulatorum infamia.

V. Haec tamen modica, & in paucorum deridiculum ruinamve inventa. At successu inescatus, omniumque opibus inhians, viros, feminas, omnes sine ullo discrimine divites, corripuit. Excogitataque mali remedia

Digitized by Google

exitium properavere. Cum enim, injecto metu, ab ignotis inter familiares, a parentibus inter liberos passim heres nuncuparetur, quanto formidolosior, tanto atrocior, *derisores* vocitabat, qui post supremas tabulas vivere pergerent, multisque venenatas mactheas misit. Seniorum vero, quibus vitam permittebat, se filium nepotemve dictitans, statimque, occupatis bonis, heredem se renuntiabat.

VI. Nequior adhuc, quam stultior, Princeps, flagitia ampliori criminum materie obtexit. Curiam enim adiit, patresque adlocutus, ait: "mirari se ab iis argui sapientissimam Tiberii mentem, bellorum pacisque artibus probatam, imperio parem, publicae felicitati provisuram, nisi obstitissent senatores. Eos Liboni Druso, Titio Sabino, Agrippinae matri, Neroni & Druso fratribus, ceterisque, quos Tiberii aequitas, recti pervicax, haud umquam punisset, perniciem intulisse: alios delationibus, alios accusationibus, omnes sententiis saeviisse".

VII. Moxque recitatis per libertos libellis, demonstratisque criminibus, addit: "Quos esse vos dixerim, in Tiberii contumeliam tanto proniores, quanto, dum viveret, ad

Digitized by Google

ejus venerationem projectiores? Olim criminum artifices, nunc ejus memoriam infectamini. Eadem inconstantia Sejano superbiam, deinde exitium, creastis. Quae me ipsum maneant, docent vestra anteacta facinora". Atque ut alienae personae obtentu atrociores sensus velaret, Tiberium induxit talia effantem: "Recta veraque locutus, eorum nemini te amicum, cunctis severum praesta. Te odio habebunt; mortemque frustra precati, vitam insidiis petent. Sensus ac verba sperne, factis diffide: quod vero jus est Imperatorium, libidini ac securitati consule. Haec principatus via, haec ratio. Si paullulum deflexeris, te laus brevis, mors violenta, turpis manet memoria. Invisa omnibus dominatio. Parent, dum potentiorem metuunt: ubi audacia & vires suppetent, servitium, dominantis exitio, ulciscentur".

VIII. His minaciter jactatis, leges majestatis renovavit, tabulisque aeneis incisas proponi jussit: tum propere e curia elapsus, in suburbana concessit. Patres perterriti, & consilio impares, se omnes majestatis crimine inretitos sensere: idem fuit Urbis metus. Nemo enim vacuus ab injuriis Tiberii, quem quisque, gratiae apud novum Principem au-

Digitized by Google

cupandae cauſa, maledictis inceſſerant. Poſtridie, paullum recreatis animis, frequenti ſenatu conſultatum, "quid in tanto diſcrimine cenſendum"? Nulla ſuperſtite libertatis memoria, in pudenda, quae ſalutem adferrent, diſceſſum; laudataque Principis prudentia & pietate, decretum "ut grates ampliſſimae ob vitam ipſis ſervatam agerentur: ſingulis annis, die, qua Caius orationem habuerat, ludiſque Palatinis, ejus clementiae ſacrificarent; aureaque ejus effigies in Capitolium veheretur, nobilibus pueris hymnos concinentibus: Princeps redux, Urbem, quaſi devictis hoſtibus, ovans iniret". Haec ſervitutis dedecora, gliſcentibus poſthac Principis atrocitatibus, ſemper auctitata.

IX. At Caius, laetus Urbis & ſenatus formidine, obvios honores ſpernere, &, ut leviſſimarum eſt mentium, ad portentoſa adſpirare. Xerxis aemulatione incertum, an ad Germaniae & Britanniae, quibus imminebat, terrorem, ſeu, quod interiores aulici prodidere, ut vanas eſſe Thraſylli hariolationes, ſeque Principem novo artis miraculo probaret, Baiarum medium intervallum Puteolanas ad moles trium millium & ſexcentorum fere paſſuum ponte conjungere adgreſſus eſt.

Digitized by Google

X. Opus quanto inſanioribus ſtudiis ſuſceptum, tanto acrioribus deproperatum. Undique evocatae operae; caeſae arbores; comportatae materiae: exſtructae naves; quae cum ad immenſam ſubſtructionem haud ſufficerent, onerariae quoque contractae. Inter operarum alacritatem, Urbe & Italia alimentorum egeſtate laborantibus, pons in nāvibus, duplici ordine ad ancoras collocatis, ſuperjectoque aggere terreno, ac directo in Appiae viae formam, conſtratus eſt. Poſitae quoque in anfractibus ſtationes plurimae, ad hoſpitia & aquae dulcis receptacula paratae.

XI. Tum Princeps, vana admiratione, ſtultaque opum oſtentatione ſuperbus, "ſe, triumphato aequore, Dario & Xerxe ſuperiorem, Alexandro, debellatis hoſtibus, haud inferiorem fore" jactitat; cunctaque ad bellicum adparatum inſtrui jubet. Stato die, ſacriſque Neptuno, ceteriſque deis, ac maxime Livori, ne grande auſum invidia premeretur, peractis, thoracem Alexandri indutus, ſuperinjecta purpurea chlamyde ſerica, auro gemmiſque intertexta, quercica corona equoque phalerato inſignis, ſecuri, cetra ac gladio minax, pontem Baiis ingreditur. Longo ordine equites pediteſque hortatorem

Digitized by Google

monſtratoremque belli Principem ſecuti, fulgentibus ſignis, truceſque vultu, ad Puteolorum obſidionem properant. Oppidum adorti, multa velitatione, omnibuſque belli imaginibus expugnant.

XII. Nulla urbis deditio majoribus celebrata laudibus: nec tamen adulatio vanitatem Principis ſupergreſſa. Ut bellicam virtutem, ita fatigationem mentitus, reliquum diei recreandis viribus abſumpſit. Poſtero die, ad novas libidines alacrior, militari pompa regreſſus eſt. Ibat quadrigario habitu, ſed tunica aurea, bijugi famoſorum equorum curriculo, Darium, multaque deditae urbis in triumphi modum ſpolia prae ſe ferens. Adſtabat praetorianorum agmen, & in eſſedis cohors amicorum, palmatis veſtibus magnifica. Pone ſequebatur expugnator exercitus, plurimaque turba, vario quiſque cultu inſignes.

XIII. Cum ad pontis medium pervenere, Princeps tribunal navibus impoſitum conſcendit; & imperatorio more milites adlocutus, jactitavit "Darium & Xerxem puerilia molitos: ſe vero virilia, & orbis domino digna geſſiſſe: catenatum calcatumque aequor: expugnatas urbes: devictos populos:

Digitized by Google

deos ipſos, majeſtatem ſuam veritos, fluctu flatuque abſtinere". Haec aliaque id ſtultitiae gloriatus, milites laborum ac periculorum ſocios compellat, & donativo magis quam laudibus, ad laetitiam inflammat.

XIV. Epulis, cantibus, ludis, triumphaliſque exercitus feſtivitate reliquum diei agitatum eſt. Princeps cum amicorum caterva in ponte, quaſi in inſula, hoſpitabatur: ceteri in naves, veluti ad praeſidia poſitas, divertere. Continuata nocte gaudia; crevitque vix credibili, nec umquam videndo ſpectaculo miraculum. Pons enim naveſque ſingulae facibus collucebant. Quod vero admirationem vicit, litoris curvatura Puteolis Baias uſque feſtis ignibus, per colles, montes, flexuoſoſque meatus, prodigioſa varietate diſcretis, ardebat. Mare repercuſſis radiabat luminibus. Noxque, diei aemula, ſolem conſpicuo ſplendore ſuperavit; Principe, intra duos dies pelago, terra, caeloque triumphatis, ſuperbo.

XV. Animum, in vana hactenus intentum, ad infitam crudelitatem inflexit epularum licentia, & forte Alexandri imitatio in immane aucta. Furor in amicos, notos & ignotos, multos etiam e litore invitatos, in-

Digitized by Google

vasit. Pars e summo ponte praecipitati: pars, dum Princeps choros inter & symphonias adnavigaret, demersi; & si qui, licet laetitia amentes, nondum tamen salutis obliti, navium gubernacula aliave apprehenderent, contis remisque in mare detrusi; nemine obsistente, plurimis aliena pericula ridentibus.

XVI. Insana gaudia, uti adsolet, occupavit moeror; opibusque penitus accisis, consuetae artes rediere. Nova & inaudita vectigalia indicta: nec umquam pluribus criminationibus ac caedibus in pecunias involatum. Multi a senatu, plures a Principe damnati. Et, ne secreta foret sua crudelitas, ipse nomina a se damnatorum in tabulis proposuit; id unum indolens, aut indignans, si quos enecasset, qui per paupertatem vivere potuissent. Supplicia morte antevenere, ob temerata militiae munia accusati, Calvisius Sabinus, senatorum praecipuus, e Pannonia redux, ejusque uxor Cornelia, fortior quam melior femina. Supremae necessitati pariter occurrit Titius Rufus, cui datum crimini, quod senatum "aliter sentire, aliter loqui" dixisset. Ne exsilium quidem tutum fuit adversus efferatum Principem perfugium. Exsules enim, vel mortem sibi imprecari, vel

Digitized by Google

tranquillam & philoſophiae ſtudiis haud il laetam vitam degere opinatus, miſit circun inſulas, qui univerſos contrucidarent. Ho inter Avillius Flaccus, quem ſupra memo ravi, foede obtruncatus eſt. Nam mortis ex actoribus obniſus, ſe vitae ut ſapienter agen dae, ita fortiter amittendae neſcium probavit

XVII. Haud vocatus in poenas, ultr ſe obtulit Herodes, Galilaeae tetrarcha, He rodiadis, impudicae & ſuperbae feminae, ar tibus magis, quam ſuis, in ruinam tractus. Illa indigne ferens, Agrippam fratrem ſuum, quondam egenum & profugum, nunc ob Prin cipis favorem opibus & nomine regio clareſ cere, maritum, ad otium, quam ad gloriam, proniorem, regni cupidine aegre ſuccendit. Ambo, Romam profecti, ut dignitatis acceſ ſionem muneribus emercarentur, Caium, re gio luxu litora Campaniae peragrantem, Baiis reperere.

XVIII. Eo ſimul venit Fortunatus, ab Agrippa miſſus cum literis, quibus Herodem accuſabat "ſocietatis cum Artabano, nova rumque rerum, quas, collectis, quibus ſeptua ginta millia hominum armaret, bellicis in ſtrumentis, fovebat". Iis a Caio perlectis, Herodem, de armorum multitudine callide

Digitized by Google

interrogatum, & ex confeſſione criminis ſuſpectum, tetrarchia opibuſque exuit, & Lugdunum relegavit; exſulis dignitatem opeſque, veteris amicitiae & novae gratiae praemium, Agrippae elargitus. Mox audito, Herodiadem ejus ſororem eſſe, ſuas ei pecunias permiſit. At injuriae regaliter impatiens, "ſe olim proſperae, nunc adverſae mariti fortunae ſociam eſſe velle" profeſſa eſt. Tantis animis muliebria vitia redemit, ſed libertatem amiſit.

XIX. Interim Caius novam criminationis materiem, Principibus ſemper indecoram, ſaepe infecundam, reperit. Ingeniorum aemulus, nec ſcriptores tantum fato functos, vincique faciles, calumniari auſus, ſuperſtites exitialius oderat: duos maxime corripuit, literarum ſtudiis praevalidos; alterum eloquentiae, alterum philoſophiae ſimul & oratoriae artis laude inſignem; illum famae, hunc virtutis avidum. Annaeum Senecam, ob orationem ingenioſius, quam par erat, coram invido Principe, habitam, capitis damnatum tutavere modeſtia, infirma valetudo, minor invidia. Domitium Afrum oppreſſiſſet aemulatio, niſi longo uſu ad artes plurimas fuiſſet exercitus.

Digitized by Google

XX. At ab ipso Principe in senatu postulatus, "quod Agrippinae sobrinam accusasset, & ipsi juvenilem aetatem, consulatibus immaturam, exprobrasset", se ad stuporem admirationemque componit, omnia longae orationis capita repetit, laudat egregie; jussusque pro se dicere, dolet, lamentatur, genua Principis advolvitur, "se non Imperatoris, sed oratoris Caesaris vi insuperabili victum" fatetur. Princeps, vanitate mobilis, deprecantem non modo absolvit, sed consulem destinat, ob invidiam dubium, an propter clementiam magis inridendus.

XXI. Domitius, eloquentia, quam moribus melior, novam dignitatem statim auspicatus est, magistratu consulibus abrogato, "quod de Principis natali nihil edixissent, & Actiacam victoriam sollemnibus feriis celebrassent". Insigni protervitate Caius eos, ob celebritatem feriarum, in Antonium, generis sui, ut ferebat, auctorem, male animatos arguebat; aeque infensos Augusto judicaturus, si eam omisissent. Quod consulum alteri ita indigne habitum, ut se ipse interficeret. Eadem animi inconstantia, comitia populo, ut diximus, reddita, ad senatum rursus translata sunt. Turbarum quoque in Africa formi-

Digitized by Google

formidine, provincia in duas partes divisa: Africa proconsuli, exercitus & Numidia legato tradita.

XXII. Dum criminationibus mutationibusve ita ludebat Princeps, exteris opibus, nullas jam suppetente Italia, increscere avidior, ad Gallias Hispaniamque animum convertit, itinere Germanicae expeditionis obtentu velato. Tumultuarius, sed immensus, fuit belli adparatus. Excitae legiones, evocata undique auxilia, delectus acerbissime acti, contractus omnis generis commeatus, numerosa quoque histrionum, gladiatorum, mulierum, aliorumque id luxus turba. Ipse iter ingressus, nihil militiae retinens, modo ibat tam festinanter & rapide, ut praetoriae cohortes contra morem signa jumentis imponere, & cursim subsequi cogerentur: interdum adeo segniter & delicate, ut octophoro veheretur, atque a propinquarum urbium plebe verri sibi vias, & conspergi propter pulverem exigeret.

XXIII. Ad bellum, ut ad ludum, profectus, recta petiit Germaniam superiorem, cui loco Lentuli Gaetulici Servium Galbam, obsequio tam egregium, quam dominationi postea imparem, praefecerat. Adventus sui

Digitized by Google

laetitiam intempestiva severitate, deinde turpiore ignavia corrupit. Vix enim castra attigit, statim cum ignominia dimittere legatos, qui auxilia serius adduxerant: ita recensere exercitum, ut plerisque centurionum maturis, & nonnullis ante pauciſſimos, quam consummaturi essent, dies, primos pilos adimeret, senium cujusque & imbecillitatem causatus: ceterorum increpita cupiditate, commoda emeritae militiae ad senum millium HS summam recidere.

XXIV. Mox, trajecto apud Mogontiacum Rheno, adversus Suevos minaciſſimus contendit. At cum inter anguſtias densumque agmen iter effedo faceret, & quemdam dictantem audiſſet, "non mediocrem fore consternationem, ſicunde hoſtis appareat", equum illico ascendit: ac propere versus ad pontes, ut eos calonibus & impedimentis stipatos reperit, impatiens morae, nec periculi securus, per manus ac supra capita hominum translatus est; virtutis parentum adeo degener.

XXV. Iratus fortunae, gloriae immodicus, haud ita ancipitem victoriae materiam quaesivit: quam ut haberet, paucos de custodia Germanos trajici occulique trans Rhenum jussit; ac sibi post prandium, quam tus

Digitized by Google

multuoſiſſime "adeſſe hoſtem" nuntiari. Quo facto, proripit ſe cum amicis & parte equitum praetorianorum in proximam ſilvam; truncatis arboribus, & in modum tropaeorum adornatis, ad lumina reverſus, eorum, qui ſecuti non eſſent, timiditatem & ignaviam corripit: comites autem & participes victoriae donat novo genere ac nomine coronarum, quas, diſtinctas ſolis ac lunae ſiderumque ſpecie, *exploratorias* appellat.

XXVI. In his victoriae mimis praeter modum intemperans, ne viſo quidem hoſte, Imperator conſalutatur: & quaſi attrita pube Germanica laureatas literas Romam mittit, queſtus edicto "ſenatum populumque Romanum, Caeſare proeliante, & tantis diſcrimínibus objecto, intempeſtiva convivia, circum, & theatra, & amoenos ſeceſſus celebrare". Quanto minor laudis ſeges, tanto effuſior laetitia. Nec in Urbe tantum, ſed in remotiſſimis quoque provinciis, diis & genio Principis ſupplicatum.

XXVII. Haud iidem ſenſus inerant haec majeſtatis virtutiſque Romanae probra ſpectantibus. Apud omnes invaleſcebat contemptus. Crevit apud nonnullos audacia; ſed infelix, Principe in ſecuritatem ſuam ea

Digitized by Google

magis intento, quo plures dabat offenſionum cauſas. Lentulus Gaetulicus, conjurationis ſuſpectus, forte magis inviſus ob popularia ſtudia & legionum amorem, perimitur. Certiorem & metuendam magis, quod domeſtica erat, conſpirationem iniere Aemilius Lepidus, imperii heres jam deſtinatus, Juliaque & Agrippina, ei adulteriis inligatae. Gliſcebat periculum, quod Princeps ſecretarum libidinum ſocietate iis innexus. At pari felicitate nefaria conſilia innotuere; punitumque ſcelus ſimul ac monſtratum. Lepidus morte, Julia & Agrippina exſilio multatae. Cum in Pontias inſulas deportarentur, juſſa eſt Agrippina oſſa Lepidi, in urna condita, Romam uſque in ſinu deferre.

XXVIII. Nec iis ſtetit Princeps, vindictae atrox, ſuique ſanguinis ignominiam parum veritus. Conjurationis chirographa, fraude ac ſtupro requiſita, divulgavit: ſcriptiſque ad ſenatum literis, ſororum ſuarum impietatem ac libidines non modo palam accuſavit, ſed etiam, ne ſceleris memoria periret, miſit tres gladios in necem ſuam praeparatos, quos ſacravit, & inſcripſit "Marti ultori". Vetuit quoque, "ne de cujuſquam ſuorum cognatorum honoribus in poſterum

Digitized by Google

ageretur": Caesareae domui adeo immitis, ut quidam prodiderint patruum suum Claudium in Rhenum, sicut vestitus advenerat, ejus jussu fuisse praecipitatum, quod eum, quasi ad regendum puerum, non ad gratulandum salutem, a senatu missum infremeret. Militibus vero, tamquam hostes deviciſſet, donativum dedit. Inter hujus anni foeda, post Lolliae discidium, ducta a Principe uxor Caesonia, neque facie insignis, neque aetate integra, sed moribus similis, imperiique pestis, si, uti traditum est, amatorio medicamento maritum in furorem impulerit. At inditam natura insaniam, duorum pessimorum ingeniorum societate, & principatus licentia creviſſe potius crediderim. Tigellinus, postea in animo & libidinibus Neronis validus, hoc anno ob adulterium Agrippinae in exsilium actus est.

AN. V. C. DCCXCIII. AER. CHR. 40.

XXIX. Caius, tertium consul, solus magistratum Lugduni iniit; non, ut quidam voluere, soliti facta Principum in pravum interpretari, superbia negligentiave, sed quod defunctum sub Kalendarum diem collegam absens haud resciſſet. Animos vero tantus Principis metus Romae inceſſerat, ut praetores,

Digitized by Google

penes quos tum erat auctoritas, nihil ausi, Capitolium cum frequenti senatu Kalendis conscenderint; sacrisque peractis, & adorata Principis sella, argenti vim, quod imperitante Augusto, nova & obsequii avida dominatione, coeptum, velut praesenti obtulerint. Deinde in curiam convenere, a nemine vocati: die tota celebratae Caii laudes eo effusius, quo acriora erant odia, occultiorque simulatio.

XXX. Tertio Nonas communi praetorum edicto coacti patres; votaque nuncupata: at manente formidine, nihil statutum. Audito tandem, Principem pridie Idus Januarias dignitate se abdicasse, consules suffecti magistratum occoepere. Decretum "ut, quibus Augusti, iisdem Tiberii Drusillaeque natales sollemnibus fierent". Dicatae Caii ac Drusillae imagines; ludique editi. Cuncta haec jussu Principis, qui pauca senatui, pleraque consulibus, ut ea in senatu recitarent, scribere erat solitus, actitata.

XXXI. Praeter vetera saevitiae exempla metum Urbis intenderat nuntius, Agrippam & Antiochum, Principis assiduos, mentem natura efferam ad omnia regnorum Orientis libita incendere. Iis concitoribus, atrox Caii avaritia Galliis incubuit. Animorum

Digitized by Google

tamen offenſiones ut declinaret, & praeda laetius ſuccederet, coepit miſcellos ludos Lugduni edere, compendiariaque ſpectaculorum varietate Gallos demulcere. Genti quoque olim bellis, tunc literis cum priſtinae virtutis detrimento operanti gratificaturus, certamen Graecae Latinaeque facundiae propoſuit, ea lege, "ut victi praemia victoribus conferrent, eorumque laudes componerent. Si qui vero maxime diſplicuiſſent, ſcripta ſua ſpongia linguave delere juberentur, niſi ferulis objurgari, aut flumine proximo mergi maluiſſent": gravi quidem poena, leviore tamen, quam ut ingeniorum audaciam coerceret.

XXXII. Mentibus ad inania converſis, probroſam negotiationem, ſed lucroſam, inſtituit. Nec eum puduit damnatarum ſororum ornamenta, ſupellectilem, ſervos, libertos quoque vendere, cunctis rei novitate, emendi gloria, majore empta oſtentandi vanitate, licitantibus. Lucro invitatus, quidquid inſtrumenti veteris aulae fuerat, ab Urbe repetiit tam immodice, ut, undequaque comprehenſis ad deportandum vehiculis & jumentis, ſaepe annona Romae ingraveſceret, & litigatorum plurimi, quod occurrere abſentes ad vadimonium non poſſent, cauſa caderent.

Digitized by Google

XXXIII. Venditionis infamiam vicit Principis dedecus. Non tantum teſtis, ſed praeco, ut citius cariuſque diſtraheret, ſingula venditabat; "hoc patris, hoc matris, hoc avi, hoc proavi eſſe: hoc ex Aegypto Antonium, hoc ex Actiaca victoria Auguſtum reportaſſe" clamitans. Modo lenociniis graſſatus, laetari "tam egregia monimenta, tantis nobilitatibus illuſtria, ad Gallos, fidam amicamque gentem, devenire". Modo paenitentiam fimulans, dolere "quod Principalium rerum privatis copiam faceret". Poſtea audacior emptores increpare, "quos non puderet locupletiores eſſe, quam Principem". Exinde in omnes divitum fortunas inruere; & quod in miſeria ultimum eſt, per inriſionem ſaevire. Id publico cum luctu expertae ſunt Galliae, cum Princeps quondam luderet alea, nec pecunia ſufficeret, feceſſit, "Gallorumque cenſus ad ſe adferri, & ditiſſimos necari" juſſit: mox ad colluſores exſultim regreſſus, "vos", inquit, "denariis aliquot luſiſtis; ego ſexies millies nummum ſum lucratus".

XXXIV. Nec poenas plebei effugit Ptolemaeus, quem Caius e regno arceſſiverat, honorificeque exceperat, ut regum comitatu

Digitized by Google

ſuperbiret. At invidia tum illi, tum Mauretaniae, exitium adtulit. Ingreſſus enim ſpectacula: oculos adſtantium fulgore purpureae abollae forte converterat. Se unum non adſpici cohorruit Princeps. Veſtis ſplendor in crimen capitis ſtatim ceſſit: nec regio adfinique ſanguine ſatis expiatus, niſi Mauretania in duas divideretur provincias, quae dominationis Romanae aeque, ac Principis ſaevitiam infamarent. Paullo laetior, ob ſpem meliorum temporum, ſors Antiocho & Mithridati obtigit. Ille, ſemper infida malorum Principum amicitia minime tutus, regno orbatus eſt. Hic ad praeſentiam Caeſaris vectus vinctuſque, in exſilium eſt projectus.

XXXV. Poſt has graſſationes, deficiente in Galliis rapinarum materie, recruduit militiae inſania, more libidinum, quae, ubi invaluere, mutantur ſaepe, numquam intereunt. Igitur non propagandi imperii ſtudio, ſed ſolita levitate, vel vana Julii Caeſaris, Britannorum victoris, aemulatione, ſuſcepta expeditio Britannica: ingentique cum exercitu Geſoriacum, Morinorum oppidum, unde facilis in inſulam trajectus, properatum eſt. Dux belli Caeſar, quaſi unus domandis hoſtibus haud impar, e portu ſolvit: mox re-

Digitized by Google

diit, recepto in deditionem Adminio, Cunobelini Britannorum regis filio, qui pulsus a patre cum exigua manu transfugerat.

XXXVI. Exercitu auspiciis laetp, superboque gentem, D. Julio petitam, non domitam, triumpho destinari, eadem, quae anno superiore vidimus, belli & victoriae ludibria revertere. Nam Princeps, directa acie in litore Oceani, balliſtis machiniſque disposiſtis, tribunal conscendit, milites adloquitur: tum insonante classico, stupentibus cunctis, nec opinantibus quid pararet, "conchas legi, galeas & sinus repleri" jubet: "haec Oceani spolia Capitolio palatioque deberi" dictitans. Exin pronuntiato militi donativo, centenis viritim denariis, quasi omne exemplum liberalitatis supergressus: "abite", inquit, "laeti, abite locupletes": ne gnarus quidem famam parare praemiorum magnitudine.

XXXVII. Victoriae tamen imagine eo amentior, quo falsa magis, veluti tradita Britannia, frenatoque Oceano, magnificas Romam literas misit; monuitque speculatores, "ut vehiculo ad forum usque & curiam pertenderent, nec nisi in aede Martis, ac frequente senatu, consulibus eas traderent".

Digitized by Google

Veritus quoque, ne expeditionis memoria periret, Geſoriaci altiſſimam turrem excitavit, qua, ut ex Pharo, noctibus ad regendos navium curſus, ignes emicarent: velata publicae utilitatis obtentu vanitate.

XXXVIII. Manſura opprobrii monumenta exſtrui dolebant Romani, ridebant Barbari: quos inter Brinno, Canninefas, ſuper ingenitam ferociam ex contumeliae facilitate adrogans, ducenta hominum millia, inſano duce, invalida deſpicere; infrementibus legatis, fruſtraque obnitentibus, &, ſi quid adtentarent, ut ignominia, Variana clade turpior, propulſaretur, odio ſtatim oppreſſis. Interea Princeps alienae laudis avidus, nec niſi per deridiculum quaeſitae appetens, ob novas, & ſicuti anno ſuperiore perſonatas, velitationes imperatoriis nominibus auctior, cogitationes omnes ad triumphi curam convertebat. Ei curae erat, ut, praeter captivos & transfugas barbaros, Galliarum proceriſſimus quiſque, ut Graeco vocabulo dicebat "dignus triumpho", ac nonnulli ex principibus, injuriae opportuni, legerentur & ad pompam ſeponerentur. Cuncti quoque juſſi non tantum rutilare & ſubmittere comam, ſed & ſermonem Germanicum addiſcere, ac nomina barbarica ferre.

Digitized by Google

XXXIX. Ne quid adhuc ad celebritatem deeſſet, morae impatiens, & quanto plus portenti, tanto plus gloriae Principibus accedere ſtulte opinatus, praecepit triremes, quibus introierat Oceanum, magna ex parte itinere terreſtri Romam devehi. Scripſit & procuratoribus "triumphum apparārent, quam minima ſumma; ſed quantus numquam alius fuiſſet: eos in omnium hominum bona jus habere: opes Principis ad nova diſcrimina & reipublicae gloriam reſervandas".

XL. Nec ſatis immiti animo, niſi in caedes exardeſceret. Viſu legionum, quae patrem ſuum Germanicum & ſe infantem olim obſederant, excanduit ejus furor; initoque nefandae atrocitatis conſilio, omnes morti deſtinat. Ab ipſis tamen crudelitatum inſtinctoribus praepeditus, ne vindictam, tot fortiſſimorum virorum virtute difficilem, & ob barbaros undique erupturos fatalem, ſuſciperet, inhiberi nullo potuit modo, quin decimare velle perſeveraret. Vocatos itaque ad concionem inermes, atque etiam gladiis depoſitis, equitatu armato circumſedit. Sed cum videret, ſuſpecta re, pleroſque dilabi ad reſumenda, ſi qua vis fieret, arma, profugit concione, confeſtimque Urbem petiit, ut ad crudelitatem, ita ad ignaviam praeceps.

Digitized by Google

XLI. Haud fracta obice, sed ob moras gravior, irarum moles in senatum ruit. Et quo insolentiores praeteritorum dedecorum rumores metuebantur, eo acrius certatum, ut nobilioribus odiis majoribusque atrocitatibus obruerentur. Inde minae & questus "patres infensos Principi, ejus discriminibus laetatos, nunc ejus gloriae invidere: provinciis in venerationem ac caelestes religiones certatim properantibus, se a senatu meritis triumphi honoribus fraudari: at tandem domesticorum hostium sanguine suam gloriam remque publicam ulturum".

XLII. Haec Romae tanto tristius accepta, quod ipse paullo ante, "ne quid de suis honoribus ageretur", etiam sub mortis poena denuntiasset. Quid facerent omitterentve, ambigui censuere, Principem adiri a legatis amplissimi ordinis, qui, "ut maturaret", orarent. Iis inclementer exceptis, "veniam", quam maxima voce respondit, "veniam, & hic mecum": capulum gladii, quo cinctus erat, crebro verberans. Exin terrorem popularitate intendens, edixit "reverti se, sed iis tantum, qui optarent, equestri ordini & populo. Nam se neque civem, neque principem senatui amplius fore: vetare etiam,

Digitized by Google

jurationis appellaret Principis libidinum ministros, Urbis praetoriarumque cohortium praefectos, Calliſtum, ex libertis cariſſimum, ipſamque Caii uxorem, Caeſoniam. Libertas, mendacio corrupta, nihil patriae profuit: Capitoni promptum ac durum vitae exitum adtulit.

XLVII. Princeps vero, quem conſcientia, ſcelerum teſtis & vindex, vel ſaeviſſimis tyrannis formidata, angore ac ſollicitudine lancinat, omnia ſuſpecta habere, nemini credere, omnes metuere: modo indignatione amens, furere, unamque optare populo Romano cervicem, ut ſcelera ſua, tot locis ac temporibus diducta, in unum ictum, & unum diem cogeret: modo ignavia imbellis, deſperare, mortem quaerere, Urbi ac praetorio praefectos, Calliſtumque arceſſere, miſerabiliter adloqui: "unus ſum, tres eſtis: ego nudus, vos armati: ſi me odiſtis, ſi vitam petitis, occidite".

XLVIII. His auditis, perterriti fidem renovant, tuta omnia adſeverant; at mentem non firmant metu invalidam. Veteribus vitiis ſuperſtitibus, novis in dies adventitiis, gliſcit formido, nec erubeſcit Princeps vel ipſa in Urbe cinctus gladio prodire: &, quo

nihil

Digitized by Google

nihil inconsultius, ad securitatem via inimicitiarum grassatus, amicosque, qui mutuis inter se odiis diffideant, adsciscit. Id quidem, praevalida, nec improba dominatione, quandoque utilius, quam glorioſius usurpatum, invisis vero Principibus perniciem semper intulit. Ipsa namque discordia scelerum feracior est, quam concordia.

XLIX. Interim senatus, luctu tot caesorum moestus, dolebat adhuc quosdam senatores vivere Principi odiosos; animumque irae pervicacem, & ob moras omnium internecioni imminentem, formidabat. Terroris anceps, gratiam dedecore redemit. Cum enim Protogenes, praecipuus Caianae saevitiae satelles, in curiam esset ingressus, ac singuli salutem & dextram ei porrigerent, ille Scribonium Proculum torve intuitus; "quid tu", inquit, "hostis publice, me salutas"? Statim Proculus a senatoribus correptus, graphiis confossus & laceratus. Ejus membra, artus, & viscera, tracta per vicos, ubi ante se congesta vidit Caius, se amicum senatus professus est; infamiam turpi, sed digna tali Principe, benevolentia rependens.

L. Patres, ne in eo probrorum certamine vincerentur, decrevere "ludos; Caiique se-

Digitized by Google

des, quotiens in curiam veniret, in editiſſimo tribunali collocaretur, omnibus invia militarique cincta praeſidio: ante ejus ſtatua agerentur excubiae". Quae ſuſpicioſo Principi adeo placuere, ut & gratiam cum ſenatu firmaret, & opes promitteret. Maximum placati animi argumentum fuit Pomponius Ab amico majeſtatis poſtulatus, abſolutus eſt; & femina amicitia incertum, an ſtupro ei inligata, quod excruciata graviſſimis tormentis, nihil eſſet confeſſa, praemiis donatur.

LI. Quo rariora his temporibus clementiae exempla, eo fuere celebratiora. "Caium humanarum virtutum faſtigium eſſe ſupergreſſum" omnes clamitant: multi "inter Heroas adſcribendum" cenſent: plures numen ejus venerantur, & "deum eſſe" pronuntiant. Princeps, qui ſub anni ſuperioris finem ad eam divinitatis inſaniam, ſua vanitate, an regum Orientis aemulatu hortatuve, in provinciis erat delapſus, id dignitatis Romae obtinere geſtiit; ſeque, quem verenda Principum majeſtas non ſatis tuebatur, divinitatis fama defenſum iri ſperavit: haud memor, numen immortale vel negatis honoribus valeſcere; iis vero vel maximis evileſcere mortales deos.

Digitized by Google

LII. Grande igitur, at lubricum, coepit divinitatis rudimentum ponere. Se ad omnes deorum nutus, habitus, formas fingit: ne ſexus quidem reverens, deas aeque ac deos, ſenes, juvenes, caeleſtes, terreſtres, aquatiles, omnes refert, totumque caelum in ſe uno complectitur. Exin palatio Caeſarum deum hoſpitem coarctari ratus, domo ſua urbem cingit; & aede Caſtoris ac Pollucis in veſtibulum transfiguratâ, hos inter medius ſaepe conſiſtit, ſeque adorandum adeuntibus exhibet.

LIII. Quod tamen in hac ſtultitia ſtupendum, humanitatis aliquid retinuit; Jovem enim aemulatus, cum aliquando oracula funderet, ſutoremque Gallum ridentem adſpiceret, eum interrogavit, "quiſnam tibi videor"? "magnum deliramentum", reſpondit ſutor. Libertatem veritas ſimul & hominis ignobilitas impunem fecere. Argutior L. Vitellius, ante conſilio & artibus egregius, tum ſervitio & adulatione princeps. Percunctante enim Caio, "an Lunam cum ipſo congreſſam videret"; ille, demiſſis oculis, tremula voce, ac venerabundus, inſuſurrat "vobis ſolis, domine, diis datum invicem vos intueri". Quo reſponſo, ut olim ceteros oblatis divini-

tatis honoribus antevenerat, ita, licet amb gue adſertis, favore in poſterum vicit.

LIV. At novum numen, paucis benef cum, plurimis grave, inauditis vectigalibu turpioribuſque artibus, divino nomine prae ſcripto tremendis, in omnium fortunas grai ſatur. Sacra ipſa, vulgo opum fecunda, i pauperiem tum ceſſere. Jovem enim Latia lem ſe dictitans, poſuit templum numini ſu proprium; & praeter excogitatiſſimas hoſtia phoenicopteros, pavones, tetraonas, numi dicas, meleagridas, phaſianas, quae gene ratim per ſingulos dies immolarentur, ſacer dotes inſtituit Claudium patruum, & locu pletiſſimos quoſque, qui ſinguli ſacerdotia centies feſtertio emerent. Ipſe ſui ſacerdos uxorem Caeſoniam, equumque ſuum *Incita tum* in collegium cooptavit: numine ac cultu pariter inridendus; ſed ſorte laetus, quod ſuper auri acervos volutaretur. Has tamen inter delicias haud deferbuit furor. Immo tum placuit hominum fortunae vitaeque inlu dere. Gratias enim Principi agere cogeban tur, & quorum bona ablata, & quorum liberi occiſi. In hac promiſcua pereuntium turba quae, quotidianum ſacrum, novo numini ca debat, vitae hilaritate, mortis conſtantia Ca nus Julius praecipuam laudem tulit.

Digitized by Google

LV. Nec Caius diis, quam hominibus, aequior exſtitit: eos modo probris & inriſionibus laceſſebat: modo aſis deturbabat, & in templi ſui famulitium vocabat: modo truncabat capite, ut ſuum imponeret. Laudatiſſimis quibuſque potiſſimum infenſus, marmoreum Cupidinem, Praxitelis opus, Theſpiis ſuſtulit; ipſum Jovem Olympium, Phidiae & artis miraculum, rapturus, niſi Memmius Regulus, portento dolove territus, abſtinuiſſet. Nec mirum muta ſimulacra ab eo ſperni, qui tonantem Jovem ad pugnam vocaret, & vincere praeſumeret.

LVI. Haec inter veſanae mentis deliria, Romam advenerant Judaeorum Alexandrinorum legati, duce Philone, diſerti magis, quam ſubacti ingenii homine. Querebantur, "gentem, unius, immortalis, & rerum omnium effectoris, Dei religioni addictam opprimi: adempta ſibi civium jura: ſacra violari: proſeuchas foedis mortalium deorum imaginibus deturpari". In hos luctus eo magis effuſi, quod nihil religione carius & intolerantius, genſque Judaeorum ſit querula, novas & acriores moeſtitiae cauſas Puteolis, quo Principem, locorum atque libidinum incertum, erant inſecuti, accepere.

Digitized by Google

LVII. Scilicet "Jamneam urbem exoticis ſacris a Capitone, Principis quaeſtore, profanatam: ejuſdem artibus, nefariiſque Heliconis & Apollis, quos ſupra memoravi conſiliis ſacroſanctum Hieroſolymae templum ſibi periiſſe: P. Petronium, Syriae praeſidem, cum exercitu miſſum, ut inauratum NOVI IOVIS INLVSTRIS CAII coloſſum in ſacro adyto reponat, vel totam gentem perditum eat: ſacrilegum opus Sidone depropetari: ſacerdotes & optimates, ut ad impietatem conſentiant, evocari: deſertas Judaeorum urbes, vacuas domos, omnes in Phoeniciam veniſſe, ut Petronium, virum minime atrocem, ſed diſplicere Principi verentem, ad miſerationem gentis, ultro in preces, &, ſi fuerint inritae, in pericula & mortes ruentis, flecterent: ſi foret pereundum, id ſolatii ſaltem habituros, quod peregrina in terra, inviolato adhuc templo, occumberent".

LVIII. Legati, his rebus auditis, dolore victi & muti corruunt, necdum quantum periculi immineret gnari. Petronius enim, tot miſerorum aſpectu & precibus mollitus, literas, pietatem inter & obſequium ambiguas, ad Principem miſerat: "lentas operas: ſed non intutas moras: religiones

Digitized by Google

tempore potius, quam vi gliſcere: Judaeos ſacris ſuis pervicacius adſtrictos, ſi feſtinaretur, forte agrorum vitaeque oblitos, in ſui perniciem ſponte ituros, cum ſummo Principis detrimento, qui ſane per has regiones meditatum in Aegyptum iter faceret". Caius, ob ſuſpiciones perſpicax, divinos honores a Judaeis negari & Petronium connivere introſpexit. Veritus tamen exercitus defectionem, modeſte reſcripſit: laudataque Petronii prudentia, hortatus eſt, "ut collectis jam frugibus, nulloque inſtante periculo, operas urgeret, & debitas Principi religiones adſereret".

LIX. Interim rex Agrippa, Petronii literarum neſcius, Caium ſalutatum venit. Vultu ejus obnubilo & iras recondente primum territus, mox auditis exprobrationibus "gentem ſuam rebellem eſſe, Principi ejuſque numini infenſam", ita diriguit, ut examinus domum ſuam fuerit reportatus. Poſtero die animis viribuſque paullulum recreatis, longas, ſupplicum more, literas miſit Principi: quarum libertate excuſata, profitebatur "ſe amore patriae ſuccenſum, avis proaviſque regibus ſimul & ſummis pontificibus natum, Dei altiſſimi templum ſemper venera-

Digitized by Google

tum, pro se, pro patria, pro sua gente clementiam pietatemque Principis exorare".

LX. "Meminisset avorum suorum, Agrippae & Tiberii, Augusti proavi, proaviae Juliae: omnes Judaeorum religioni favisse. Agrippam, cum Hierosolymae versabatur, singulis diebus sacrosanctum templum adisse, verendamque ejus majestatem, & sacrorum sanctitatem admiratum, illud donis exornasse. Tiberium ne voluisse quidem auratos clipeos, nulla imagine, sed titulo tantum insignes, sibi in Herodis regia a Pilato dicatos, in urbe sancta manere, sed Caesaream transferri jussisse. Augustum non modo permisisse Judaeis, ut ubique terrarum patrios coetus celebrarent, & stipes Hierosolymam mitterent; at ipsum quoque imperasse, ut suis impensis victimae singulis diebus summo Deo aeternum litarentur. Juliam Augustam, maritae pietatis aemulam, aureas phialas, calices, aliaque plurima & pretiosissima donaria misisse".

LXI. "Igitur suppliciter obtestari, ut Princeps, majoribus suis virtute haud impar, par quoque sit in Judaeos benevolentia". Memorabat "accepta a Caio beneficia; rupta vincula; data regna: at haec vana, haec

Digitized by Google

exitiosa esse, si templum violaretur, si convelleretur religio. Reposcere se priorem servitutem, aut potius mortem, cum vivere non possit, nisi Caio adnuente; nec velit, nisi probante Deo, & inviolato templo".

LXII. Vetus amicitia, eaque imperiosior libertas Principem mollivit, nec tamen a coeptis penitus avertit: scripsit quidem ad Petronium, "ne quid in templo novaret". At simul imperabat, "ut extra Hierosolymam aras, templa sibi suisque ponere cuivis liceret. Si quis obstaret, statim plecti, aut ad se mitti". Urbe talibus impietatis & dissensionum munimentis vallata, indulgentiae eum adhuc poenituit; jussitque "aere aurato colossum Romae fieri", qui, clanculum Hierosolymam transvectus, in templo dicaretur, cum per eam urbem, Aegyptum petiturus, iter faceret.

LXIII. Iis dispositis, legati Judaeorum Alexandrinorum ad inrisionem magis, quam ad orandam causam, admissi. Quod paullo fusius referre haud pigebit, ut inlustri exemplo, quae fuerit hujus principatus ratio, noscatur. Caius, in Maecenatis Lamiaeque hortis diversatus, praeceperat "villas omnes recludi; se eas inspecturum". Ibi legatos ex-

Digitized by Google

cepit: cernui "Auguſtum Imperatorem" ſalutavere: quos ille indignabundo vultu reſpectans, "nonne vos", inquit, "qui me, probatum totius orbis confeſſione & veneratione, deum negatis, & numen, ne nomine quidem notum colitis"? Dein protenſis ad caelum manibus, impia vociferatus eſt, horrentibus Judaeis; Alexandrinorum vero turba "Caium deum, Jovem, deos omnes, unum eſſe" ingeminante.

LXIV. Interim criminabatur Iſidorus, "reliquos terrarum populos, praeter Judaeos, pro ſalute Principis ſacrificaſſe". Hi accuſationis indignitatem averſati, exclamant "ſe injuriis peti; terque, pro auſpiciis imperii, reſtituta Caeſaris ſanitate, victoriaque Germanica, hecatombas, non truncas, uti apud ceteras gentes moris eſt, ſed integras, ſacro igne adoleviſſe". Haud mitior Caius eos "alii, non ſibi, ſacrificaſſe" queritur: moxque obambulans, aulas, oecos, gynaecea, tabulata omnia inſpectare; haec probare; illa damnare; alia mutata velle, adſectantibus inter adverſariorum contumelias Judaeis: quos ſubito adfatus, "cur", inquit, "ſue abſtinetis"? Rident plauduntque Alexandrini: patrios ritus excuſant Judaei: jocatur Princeps;

Digitized by Google

ſtatimque ad ſeria tranſgreſſus, "quid juris in urbe Alexandria petant" interrogat.

LXV. Illi meditatam orationem, qua jura per quadringentos annos valida probarent, coeperant, cum propere fugit, ampliſſimamque aulam pererrans, jubet "feneſtras vitro candido, ſpecularibus lapidibus haud abſimili, occludi". Exin ad Judaeos lente regreſſus, "quid dicant" quaerit. Dicta ſummatim repetentibus, ſubito evadit in aedem, quam veteribus picturis exornabat. Denique reverſus, nec ita ferox, ſed commiſerans, "proh miſeros", inquit, "& imbecillos magis, quam malos, qui me dei naturae participem eſſe haud intelligitis". Haec locutus, abiit; juſſique legati recedere: Principis futilitate inritati, laeti tamen, quod jam non cauſae tantum, ſed vitae etiam diffiderent.

LXVI. Sub anni finem Apelles malarum artium poenas luit; vinctuſque ferreis compedibus, & rota tortus per dierum intervalla, ut diu ſuppliciis ſufficeret, quantum olim ad luxuriae incitamenta, tantum ad crudelitatis ludibria valuit: haud raro, at ſemper infirmo exemplo. Validius enim ad ſcelus impellunt praeſentis fortunae inlecebrae,

Digitized by Google

quam retrahit futurae infamiae formido. Eodem anno Pontius Pilatus, Viennam biennio ante relegatus, vitam priſtinae dignitatis memoria, conſcientia ſcelerum, moeroris impatientia triſtem ipſe finivit.

AN. V. C. DCCXCIV. AER. CHR. 41.

LXVII. Caius Caeſar IV & Sentius Saturninus infauſtis auſpiciis conſulatum iniere. Sacrificanti enim Caeſari Kalendis Januariis jecur victimae defuit. Alia quoque vulgata prodigia, potius taedio principatus, quam rei veritate. Haud filuerim tamen, quod Plinius, egregius naturae ſcriptor, retulit. Nec vera tantum, ſed tradita quoque nobilibus auctoribus, etſi minus veriſimilia, memorare debet Annalium conditor. Igitur cum ab Aſtura Antium renavigaret Princeps, fertur, tota claſſe proficiente, ejus quinqueremem ſolam reſtitiſſe. Cunctis demirantibus, quid quadringentorum remigum officio intercederet, exſiliere, qui id circa navim quaererent: invenere echeneidem, gubernaculo adhaerentem, Caioque oſtenderunt. Indignationem, quod eum ſemipedalis piſciculus remoraretur, excepit admiratio, cum, qui adhaerens ita tenuiſſet, in navigium receptus nihil polleret.

Digitized by Google

LXVIII. At haec leviora, quam ut atrocem adverterent Principem, qui quantum ceteri prosperis, tantum adversis inhiabat: solitus temporum suorum calamitatem dolere, quod fame, peste, exercituum cladibus, urbium incendiis, regionum subversionibus, uti superioribus principatibus contigerat, non nobilitarentur. Verum, quae populis precabatur mala, in ipsum, Urbem regressum, vertere. Nefandum facinus diversis incitamentis susceptum. In illud ruit Aemilius Regulus, Cordubensis, odio Principis: Annius Minucianus, ut Lepidum ulciscereturque sibique imminens discrimen propulsaret: Cassius Chaerea, vir antiquis moribus & austeris, quibus, ut ad bonum nihil melius, ita ad malum nihil audacius, propter spretam suam virtutem ipsamque Caii benevolentiam infensior.

LXIX. Singuli, quoscumque noverant dominatione offensos, socios deligere, non ut periculum declinarent, sed ut societate valescerent. Omnium acerrimus Chaerea, praetorianorum tribunus, singula observare: Principis libidines, sacrorum arcana, vectigalium immanitatem, populi luctus, suasmet injurias, cum ob humanitatem & in exigen-

Digitized by Google

dis vectigalibus moderationem a Principe, qui virilia omnia exuerat, ut muliebria oſtentaret, mollitiei argueretur, &, quoties ſignum petebat, Veneris, Cupidinis, Priapive ſemper acciperet, in crimina, cauſaſque caedis exaggerare: ad facinus adſcitos, laudibus, exemplis accendere.

LXX. Ejus conſilia ferme oppreſſit caſus. Quidam enim Timidius Pompedium, ſenatorem, geſtis magiſtratibus inſignem, tum Epicureae ſcholae placitis in otia reſolutum, conjurationi tamen innexum, quaſi probroſis ſermonibus Principem inluſiſſet, majeſtatis arceſſivit; petiitque, ut Quintilia, theatricis operis, venali pulchritudine, & Pompedii aliorumque plurimorum amoribus famoſa, per tormenta interrogaretur. Adnuit Caius; ac ne quid ſuppliciorum acerbitati deeſſet, juſſus Chaerea eam quaeſtioni ſubjicere, in tormenta eo magis duraturus, quo toties objecta mollitiei crimina magis odiſſet.

LXXI. His vulgatis, ingens fuit conjuratorum metus. Multi, ut quid ſibi ſperandum formidandumve intelligerent, Quintiliam, cum ad ſupplicia ducebatur, inviſere. Illa, ſupra fortiſſimorum virorum animos erecta, unius e conjuratis pedem pede preſſit,

Digitized by Google

nutuque oculorum se silentii firmam, & adversum tormenta invictam fore ostendit. Chaerea, grandem animam nactus, tanto acerbius saeviit, quod hac via promptius certiusque ad Principis perniciem properari persentisceret. Exin Quintiliam, defecto corpore, sed excelsa mente immotam, ad Caium perduxit; quam ubi vidit, miserans, Pompedium absolvit, Quintiliam, in doloris levamen, amissaeque formae solatium, pecunia donavit.

LXXII. At Chaerea, periculo violentaque crudelitate atrox, Papinium tribunum, Clementem, praetorianorum praefectum, adit; atque in hunc modum adloquitur: "Hactenus Principis securitati insudavimus: ejus vitae insidiatores ferro necavimus, aut tormentis adeo inclementer excruciavimus, ut hominum teterrimo miseratio moveretur. Haeccine, haecne tota militiae nostrae ratio"? Erubuit Clemens, vultu quantum dominationis puderet prodente, at siluit, ne iniqua Principis insectatione exitium sibi quaereret.

LXXIII. Audacior Chaerea, ratusque vinci facilem esse, qui erubesceret, queritur "se crudelissimi Principis non satellites tantum, sed amicos esse: adversus libertatem & patriam armatos, civium sanguine quotidie

Digitized by Google

foedari: nec tanta infamia ſuam adhuc ſecuritatem apud ſuſpicacem & humana caede laetum Principem redimi. Audendum tandem: ſuae & omnium ſaluti conſulendum".

LXXIV. Chaeream laudat Clemens, ſed "ſilentium & moras" ſuadet: addit "ſe, ob ingraveſcentem aetatem tantae rei imparem, tutiora forte reperturum; neminem honeſtiora dicturum". Dein diſceſſere, in varias cogitationes diſtracti. Clemens audita dictaque animo volvebat. Chaerea, fide praefecti haud ſatis proſpere tentata, magis praeceps, Corn. Sabinum, tribunum, Annium Minucianum, in Urbe dignitate praeſtantem, in partes trahit: adjungit ſenatores, equites, milites. Acceſſit quoque Calliſtus, Principis favore & opibus libertorum praecipuus: ad ſcelera tanto paratior, quanto fortunae inſolentior & avidior. Is perfidiae dedecus velabat, falſi incertum an veri criminis atrocitate, ſcilicet Caium ſibi imperaſſe, "ut Claudium veneno tolleret".

LXXV. Tanta conjuratorum multitudine augeſcebant quidem animi, ſed retardabantur conſilia. Quiſque enim, uti adſolet, in diverſas ibant ſententias. Unus Chaerea cenſebat "ſuper omnia opus eſſe feſtinatione: mora

Digitized by Google

mora res corrumpi: commodas jam omiſſas occaſiones: Caium potuiſſe interfici, Capitolium aſcendentem, ut pro filia ſacra faceret; vel e ſumma baſilica praecipitari, cum nummos in plebem ſpargebat; vel opprimi, cum arcanas ſuas religiones celebrabat incuſtoditus & incautus. Ceterum ſe neque ſociis, neque armis indigere: a diis ſibi eam vim corporis datam, ut ſolus nuduſque valeat Caio necem, patriae ſalutem adferre".

LXXVI. Intrepidum Chaereae animum omnes probavere, orantes tamen, "ne praepropera feſtinatione res in diſcrimen adducatur, & malorum remedium in majora & inſanabilia mala vertatur. Ludos Palatinos quam primum edendos: hoc commodiſſimum meditatae caedis tempus. Urbe ſpectaculis intenta, imparatis ſatellitibus, aut ob locorum anguſtias impeditis, Caium vulneribus totum fore pervium". Chaerea, licet morarum impatiens, conſenſit, & graviores tempore iras fovens, condictum diem primum ludorum exſpectavit. Inluxit tandem; at variis caſibus praepeditus, numquam in ſcelus patuit. Quatuor quoque ſequentibus diebus conjuratorum conſternatione, aut ancipitibus conſiliis, nihil attentatum.

Digitized by Google

LXXVII. Infremens Chaerea factioſos, in unum convocatos, "juratae fidei memoria, proditionis metu, Caii impune quaelibet auſuri licentia, numquam intermoritura patrandi facinoris gloria" ad audaciam excitat. Exin paullulum ſilens, exterritoſque ac mutos obſtupeſcere miratus, ſubiraſci & quaerere, "quid morarentur viri fortiſſimi? Adeſſe ludorum diem ultimam: Caium, effuſo nobilium & optimorum quorumque ſanguine, Alexandriam mox profecturum: ſuas libidines, Romanorum infamiam terra marique oſtentaturum. Haec inaudiſſe horrendum, ferre magis pudendum. Aegyptium, ſcelera exoſum, ac forte ulturum, laudem maximi facinoris ipſis praerepturum. Spretis eorum conſiliis, ſe ſemet hodie pro communi ſalute devovere, eventus ſecurum, certumque id unum miſerum, ſibique turpe, ſi, dum viveret, alia, quam hac ſua dextra, Caius caderet".

LXXVIII. Pudore iraque accenſi omnes, fidem renovant, morarumque veniam ex audacia quaerebant. Tum dux Chaerea gladio ſe accingit, & palatium petit, ut ſignum militiae more accipiat. Numquam laetior magiſque affabilis viſus Princeps, ſeu natura,

Digitized by Google

malorum praesaga, in extremos virtutum igniculos erumpente, seu blandiente magis fortuna, quo saevior imminet. Illo enim ipso die, nono Kalendas Februarias, ad eum perductus fuerat L. Cassius Longinus, Asiae proconsul, quem e provincia evocaverat, monitus Fortunis Antiatinis, "ut a Cassio caveret". Ejus vinculis, &, cum vellet, caede, se vitae ac dominationis certum rebatur, oraculis ludificari homines, non defendi nescius.

LXXIX. Itaque sacris de more D. Augusto peractis, ludis adfuit. Adstabat cum tribunis Cassius Chaerea, Cassio Longino formidolosior. Sedebant ceteri conjurationis socii, firmare animos, & proximae caedis rumusculos, vulgari coeptos, opprimere intenti. Cruenta fabula & multa fictae mortis imagine exhilaratus Princeps, ad balneum prandiumque egressus, hora fere septima, pueros nobiles, ex Asia ad edendas in scena operas arcessitos, forte adloquebatur, cum Chaerea, petito militiae signo, probrosoque accepto, "accipe ratum", inquit, gladiumque ei humerum inter & collum impressit. Silentem & effugium tentantem Corn. Sabinus mox invasit, & in genua provolvit, signum conjurationis inclamans, *Repete*. Caius

Digitized by Google

jacens, clamitansque "se vivere", statim triginta vulneribus confectus est. Alii prodidere, Chaeream ei cervicem gladio caesim percussisse, praemissa voce: "Hoc age"; & Corn. Sabinum ex adverso pectus transverberasse. Constat, extremum fatalemque ictum ab Aquila ingestum.

LXXX. Periit Caius nono & vigesimo aetatis anno: prope quadriennio imperaverat. Parentes eum ad virtutem finxissent, nisi imperiosior natura ad vitiorum portenta projecisset. Eminenti fuit statura. Cetera in eo immania, pallor vultus, anilitas frontis, concavorum rigentiumque oculorum torvitas, deformitas capitis emendicatis capillis aspersi, obsessa setis cervix, crurum exilitas, enormitas pedum. Vultum natura horridum ac tetrum efferabat ex industria, atque ad speculum in terrorem componebat. Atrocior autem erat animus, mens insana, ingenium mobile, & incredibilium rerum avidum. Puer adhuc, constupratis sororibus, libidinum rudimenta in domo Antoniae occoepisse fertur. Juvenis voluptatum monstra, suspicionum arcana, sanguinariasque leges Capreis didicit. Princeps liberalitate, hilaritate, popularitate, aliisque virtutum imitamentis, quae in vitia

Digitized by Google

desinunt, primum inluſit. Poſtea ingenii pravitate, dominationis libidine, immoderata omnia & inaudita cupere: ad nefanda inſoleſcere: ſucceſſu inlectus, pejora quaerere; & brevi principatu, quid ſumma vitia in ſumma fortuna poſſint, oſtendere. Literas invidia corrupit: artes luxu adulteravit: mores exemplis proſtravit: libertatis reliquias audacia funeſtavit: imperium ſtultitia, immanitate ferme evertit: civis vecors, Princeps furioſus, contumelioſus, prodigus ſimul & crudelis, religioſus & impius, vita, morte, memoria probroſus.

Digitized by Google

SVPPLEMENTVM
LIBRI NONI
ANNALIVM

BREVIARIVM

I. Occiſo Caio, caedes plurimae. II. Turbae, Urbiſque confuſio. V. De imperio conſultant patres. VI Claudius a militibus Imperator ſalutatur. VII. Sentius Saturninus, conſul, libertatis hortator. VIII Idem perſuadet Chaerea. Caeſonia ejuſque filia interemptae. IX. Patres ad Claudium legatos mittunt, ut imperio abſtineat. XI. Agrippa, rex, medias partes fovere videtur, ut certius Principem tueatur. XIII. Senatus Claudium Imperatorem agnoſcit. XV. Chaerea capite damnatur. XVI. Claudius moderatione, & Caii inſectatione, publicam gratiam quaerit. XVIII. In ſuos beneficus, imperii dignitati & ſecuritati conſulit. XX. Ejus quoque munificentiam experti reges Antiochus, Mithridates, & Agrippa. XXI. Eadem aequitas erga urbes a Caio vexatas XXII. Egregia haec imperii initia Meſſalinae libidinibus & hebete Principis ingenio corrupta. XXIII Sulpicius Galba, & P. Gabinius, Germanorum victores. XXIV. Juliae & Annaei Senecae exſilia. XXV Antoniae & Octaviae nuptiae. Britannicus & Titus naſcuntur. XXVI. Leges. XXVII. Suetonius Paullinus bellum gerit in Mauretania, Atlantemque montem ſuperat. XXIX. Bellum abſolvit Hoſidius Geta XXX. Annonae cura; praemiaque iis, qui naves fabricarent, propoſita. XXXI. Ad lacum Fucinum

Digitized by Google

emittendum ſuſcepta opera. Portus Oſtienſis. Orca ingens. XXXII. Veſanus ludorum furor. XXXIII. Appius Silanus Meſſalinae artibus pervertitur. XXXV. Furius Camillus Scribonianus, res novas in Dalmatia moliens, ſtatim opprimitur. XXXVII. In multos ſaevitum. XXXIX. Arguta Galaeſi libertas. XL. Arriae conſtantia. XLIII. Lucii Othonis varia fortuna. XLIV. Quae ſupererant veteris principatus vitia abolita. XLV. Puniuntur Lycii. XLVII. Meſſalinae audacia & ſcelera. XLIX. Conjuratio a Lucio Othone prodita. L. Bellum Britannicum, duce Aulo Plautio. LVII. Claudius Britanniam petit. Victi Britanni. LIX. Promota apud Romanos Geographiae ſtudia.

Haec per reliquum anni, quo Caius interemptus eſt, & duobus annis ſequentibus geſta.

An. V. C.	Aer. Chr.		
DCCXCV.	42.	*Coſſ.*	TI. CLAVDIO Caeſare II, C. CAECINA Largo.
DCCXCVI.	43.	*Coſſ.*	TI. CLAVDIO Caeſare III, L. VITELLIO II.

Digitized by Google

Occiso Caio Caesare, & interfectoribus in Germanici domum, palatio vicinam, clam delapsis, Germani, corporis custodes, tumultu ac rumoribus exciti, adcucurrere. Innata fide ac ferocia, nec invalidiore largitionum Principis memoria, aut spe, in vindictam summo impetu ruunt. Asprenas, senator, primum obvius, obtruncatur. Norbanus, nec dignitate sua, nec majorum laudibus defensus, vim parans, fortiter occubuit. Anteius, domesticas injurias, cadaveris spectaculo, ulciscendi turpiter avidus, inglorius periit. Alii plurimi, sontes & insontes, trucidati.

II. Interea fama caedis theatrum pervasit; & pro cujusque aut ingenio, aut fortuna, varie accepta. Plebs Principem, ludis deditum, vel amissum dolere, vel salvum credere. Servi, scelerumque artifices, ob delationes malasque artes timere. Patricii, ceterique nobiles, dominationis atrocitatibus infensi, re laetari, specie tristari. Conscii conjurationis silere. Plurimi, quibus volupe est ficta divendere, spesve in turbidis ponere, alii differre "vulneratum quidem Caium, sed vivere, & vulneribus fomenta parari":

Digitized by Google

alii "cruore madentem in foro adſtare, populumque ad ultionem, & optimatium internecionem hortari".

III. Iis rumoribus gliſcebat terror: increvit, cum theatrum, deſtrictis gladiis, circumſidere Germani milites; araeque praefixis occiſorum capitibus, quid omnibus immineret periculi, oſtentavere. Cuncti veniam ſalutemque orabant. Temeritas, quae in extremis valet plurimum, tranquillitatem ſecuritatemque inopinato adtulit. Quidam enim Arruntius, rerum venalium praeconio, indeque partis opibus famoſus, atra veſte, funereoque planctu theatrum ſubiit, & "Caium Caeſarem mortuum eſſe" vociferavit; mox circumcurſans militibus "gladios conderent" renuntiavit. His furor, ceteris terror ſtatim relanguit.

IV. Haud aliter ſedata Urbis perturbatio. Praetoriis cohortibus, interfectores undequaque perveſtigantibus, trepidantique populo occurrit Valerius Aſiaticus, conſularis, magnaque in concione "utinam abs ſe patrata eſſet caedes" inclamavit. Tanta ferocia reſedere animi; & in publica Caii convicia diſceſſum eſt. Crevit audacia, cum Clemens, quem ſupra memoravi, Minucianum

Digitized by Google

ceteroſque ſenatores, caedis conſcios, ad ſe adductos remiſit; "Caiumque non Romanorum, ſed ſuis telis confoſſum periiſſe" profeſſus eſt, occiſo Principi infeſtiſſimus, quod antea timidus.

V. At conſules, Sentius Saturninus & Pomponius Secundus, gravioribus rebus intenti, deſpecta curia, quia Julia vocabatur, forum Capitoliumque occupaverant; juſſiſque urbanis cohortibus ſenatus ſecuritati invigilare, edictum Caio contumelioſum propoſuere, promiſſa populo vectigalium imminutione, militibus donativo, ſi quiſque domum ſe reciperent, & a tumultu ac direptionibus abſtinerent. Exin coacti patres de forma regiminis conſultavere. Alii "abolendam Caeſarum memoriam, diruenda templa, libertatem reſtituendam"; alii "retinendam dominationem" cenſuere. Hi, varias in partes diſtracti, pro ſua ſpe aut fortuna diverſos Principes deſtinare. Omnes, flagrantibus partium ſtudiis, reliquum diei noctemque abſumere, & libertatem mora perdere.

VI. Caſus tamen, non conſilium, imperio Claudium admovit. Rumore caedis exterritus, ad palatii ſolarium prorepſerat: inter praetenta foribus vela latebat abditus,

Digitized by Google

cum discurrens forte gregarius miles anim-adversis pedibus, e studio sciscitandi, quisnam esset, eum agnovit, extractumque, & prae metu ad genua sibi accidentem, *Imperatorem* salutavit; & ad commilitones perduxit. A furore ad venerationem statim conversi, illum lecticae imponunt, & vicissim succollantes in castra deferunt, tristem ac trepidum, obvia miserante turba, quasi ad poenam raperetur insons. Receptus intra vallum, inter excubias militum pernoctavit, minore spe, quam fiducia.

VII. Patres enim, libertatem inter & novos dominos incerti, adhuc certabant; ac Sentius Saturninus, consul, omnium animos ad libertatem ferme erexit: hortatus, "ut eam, insperatam licet, deûm tamen immortalium munere oblatam, Cassii Chaereae fortitudine adsertam, amplexarentur: diem hanc sibi gloriosam, posteris laetam, aetatibus omnibus memorandam facerent: servitutis mala, imperitante Julio Caesare coepta, Augusti & Tiberii principatibus aucta, a Caio cumulata cogitarent. Dominationem, virtutibus infensam, libidinibus graſſari. Rempublicam bonorum civium studiis ac praemiis niti. Penes ipsos esse, ut reviviscat libertas,

Digitized by Google

vel aeternum obruta jaceat". Addidit, "utcumque erit vestra sententia, libertatis vindices, & maxime Cassium Chaeream, meritis honoribus decorate".

VIII. Orationi vim addidit Chaereae praesentia; nocteque jam adulta, consules adlocutus, signum petiit, & *libertatem* accepit; laetantibus omnibus consularis potestatis & reipublicae monumentum, tot abhinc annos intermissum, renovari. Mox, ut Caii domus penitus exscinderetur, Chaerea Julium Lupum, tribunum, misit, qui Caesoniam & ejus filiam interficeret. Reperta mater, filiam proxima, mariti cadaveri adsidens, cruore foeda, & indolens "suis eum consiliis haud paruisse". Ut vidit tribunum, quem ad caesi Principis miserationem trahere frustra nitebatur, rigescere, sibique extremam necessitatem minitari, fortiter jugulum nudavit, &, deûm hominumque fidem obtestans, percussori obtulit: planctu mortisque firmitudine, si quid mulieri credendum, se maritae immanitatis objectorumque criminum insontem esse, testata. Ejus filia parieti illisa.

IX. Dum haec patrabantur, nuntiata patribus Claudii fortuna. Ne silentio augesce-

Digitized by Google

ret, confestim legavere Veranium & Brocchum, tribunos plebis, qui Claudio suaderent, "ut nihil contra senatus auctoritatem adtentaret: pristina dominationis mala, quae ipse erat saepe expertus, meminisset; malletque cum securitate ac laude in republica vivere, quam cum dedecore & imminentis fati formidine imperare velle. Rempublicam habere milites, arma, & innumera servitia; quodque ad defensandos patriae libertatis vindices validius, propitios fore deos, quorum est recta honestaque tueri".

X. Minax praetorianorum aspectus legatos perterruit; certique inferiores esse consulares copias, orant, Claudii genua advoluti, "ne Urbem bello & internecioni objectet: si imperium voluerit, adeat patres, quae videantur, suadeat: posthabita autem semper odiosa, saepe luctuosa tyrannide, principatum laetis auspiciis & civium benevolentia nixum anteferat". Jam Claudius, mentis & consilii parum firmus, ad modesta divertebat, nisi militum ferocia, Agrippae, regis, prudentia, ipsaque dominationis cupido, vel in imbellibus pectoribus haud invalida, abjectos animos sustuliisset. Legatis "vi se & necessitate teneri" respondit.

Digitized by Google

XI. Agrippa, ejus imbecillitati adhuc diffisus, artes suas ita occulebat, ut, dum dominationi clam adlaborabat, senatui favere crederetur. Ab eo accitus, ut de rerum summa consuleret, curiam venit. "Quid actum de Claudio" interrogat: quasi ignarus id edoctus, "se pro senatu ac libertate mori paratum" profitetur: "at rem difficillimam agi: militibus & pecunia opus esse". Senatores "utrumque sibi suppetere" adseverant. Monet Agrippa "ipsis forte quidem multos, sed novos & disciplinae rudes esse milites: veteranos vero & bellorum peritos Claudio adesse: nihil temere tentandum: si velint, se Claudium aditurum, & abdicationem persuasurum".

XII. Ad Claudium reversus, eum senatus fluctuationem, militum ceterarumque rerum, quibus respublica nititur, inopiam docet, & ad sensus regnatrice domo dignos exstimulat. Claudius rei facilitate suaque utilitate victus, haud absurde respondet legatis, "se non mirari, senatum prioribus Principibus succensere: at nihil veteris injuriae, se Principe, remansurum: aetate, fortuna, exemplis, suaque natura meliora edoctum: sibi quidem imperium, at communem cum

Digitized by Google

ipſis fore poteſtatem; nec formidoloſum eſſe debere, quem ſuarum partium ſuaeque dignitatis ſocium habuerunt". Iis deinde dimiſſis, milites adloquitur. Cum in ejus nomen juraſſent, ſingulis quinadena ſeſtertia promittit; primus Caeſarum fidem militis praemio pigneratus.

XIII. Audita Claudii reſponſione, patres a conſulibus in aedem Jovis victoris convocati ſunt. At plurimi, quid immineret libertati praeſcii, pars in Urbe latitare: pars in villas ſecedere, ut, ſi minus dignitati, magis ſecuritati conſulerent: alii, haud amplius centum, convenere: mox clamoribus militum, qui plures dominos reſpuebant, unum efflagitabant Principem, ſunt praepediti: pauca, nec placita, pro libertate dixit Pomponius, conſul; ceteri de principatu diſceptavere. Hos enim inter nonnulli ſummae rei inhiabant; quorum praecipui Marcus Vinicius, nobilitate & Juliae matrimonio inſignis, Valerius Aſiaticus, audacia, quam auctoritate, validior. Magna auſuros deterruit mutua aemulatio: inſuper partes Claudii ſingulas in horas adcreſcebant; metus quoque erat, ne, ſi ad arma veniretur, vel Urbs ſubverteretur, vel, jam coepta militum defe-

Digitized by Google

ctione, propudiosam ad mortem traherentur. Itaque patres, milites, in Claudium consensere; fruſtra indignante Chaerea, "huc recidere tanta libertatis molimina; & post caedem furiosi Principis stolidum adsumi: si vellent, se praecisam Claudii cervicem eis allaturum". "Hanc quoque infamiam morte sua se anteventurum" minitabatur Sabinus.

XIV. Haec incassum jactitata. Quo tardiores ad obsequium, eo patres ad servitium promptiores ruunt: ad castra properant, duce Pomponio. Sed infensi milites consulem, quod fuisset libertatis hortator, strictis gladiis, jam morti destinabant, nisi restitisset Claudius, suoque lateri eum adsidere jussisset. Haud ita civiliter excepti senatores: contra repulsi, inlusi, caesi; vulneratus quoque Aponius. In haec intempestivae severitatis dedecora prorumpebat Princeps, dominandi rudis, cum venit Agrippa, eumque docuit "senatum in praesentia non injuriis, sed honoribus mulctandum".

XV. Ad omnia facilis, patres in palatium convocat, quo ipse mediam per urbem lectica defertur, stipantibus militibus, superbisque & populo insultantibus, quod Principem imperio dedissent. Licet Pollio, cohortibus

Digitized by Google

tibus praetoriis recens praefectus, edixiſſet "ne Chaerea & Sabinus in publicum prodirent", adſtitere tamen, majore ſane ſpe dominationem contemptu legis inridendi, quam novas turbas concitandi. Ubi primum ventum eſt in palatium, Claudius cum amicis de Chaerea conſultavit. Viri fortitudinem laudavere; at "morte plectendum, ut poena terrori eſſet", cenſuere; jamque adulta adulatione, non ut Caii interfector, ſed ut nefariorum adverſus Claudium conſiliorum reus, capite damnatur. Interritus, ne mutato quidem vultus colore, Lupumque, ut facinoris, ita poenae ſocium, ſed non ſatis fortem, ad firmitudinem hortatus, ſupplicium adiit, juſſitque percuſſorem "eodem, quo Caium peremerat, gladio uti". Ad mortem ſic obduratus, uno ictu obtruncatur. Lupus minore conſtantia, repetitis ictibus trucidatus eſt. Sabinus, venia & dignitate, quae ei fuere oblatae, ſpretis, ſe ipſe interemit: indignum ratus, ſi Chaereae ſuperſtes viveret.

XVI. Princeps, eam morientium ferociam veritus, in atrociores milites animadvertere; ſenatores, alioſque ſibi infenſos beneficiis demulcere: necdum vitae potentiaeque ſecurus, omnibus, qui ſalutaturi adirent,

Digitized by Google

acerbiſſimos ſcrutatores adponere; ne convivia quidem inire, niſi ſpeculatores cum lanceis circumſtarent, militeſque vice miniſtrorum fungerentur: alia metu excogitare, quae poſtea ad Principum majeſtatem retenta. Aſpera tamen ſuſpicionum mollita, ſublatis impietatis criminibus, condonatis veteribus injuriis, remiſſis ſenſim, ut gratia augeſceret, vectigalibus.

XVII. Acceſſit etiam favor, cum Claudius protulit duos Caii libellos, a Protogene ſcriptos, alterum *gladii*, alterum *pugionis* titulo inſignes. Ambo notas & nomina electiſſimorum ſenatorii equeſtriſque ordinis, morti deſtinatorum, continebant. Eos cum famoſis literis, quas Caius crematas ſimulaverat, palam combuſſit; Protogenemque, ut Urbi gratificaretur, interfecit. Majorem adhuc ex inaudita improbitate Caio invidiam, ſibi laudem civiumque benevolentiam quaeſivit. Arcam enim ingentem, venenorum plenam, quam in ſecretiore Caii ſupellectile repererat, demerſit; tantaque erupit lues, ut infecta maria traderentur, nec fine piſcium exitio, quos enectos aeſtus in proxima litora ejecit.

Digitized by Google

XVIII. Tum omnes se a Principe servatos fateri: in fratre Germanici virtutes, spes populi Romani cumulatas praedicare. Ille vero nimios honores recusare, nedum divinos velle: sola imperii insignia usurpare: statuas paucas & modestas permittere; "mutis signis templa, compita, publicas, privatas aedes oppleri, civesque exturbari" dictitans. Hac civilitate stabilito imperio, nihil antiquius habere, quam ut id biduum, quo de mutando reipublicae statu haesitatum erat, memoriae eximeret. Omnium itaque factorum dictorumque in eo veniam & oblivionem in perpetuum sancire ac praestare; &, cum Principum reverentia religionibus & pietatis officiis adcrescat, aviae Liviae divinos honores, & Circensi pompa currum elephantorum; parentibus inferias publicas; patri Circenses ludos natali die decernere. Ne Antonium quidem inhonoratum, ac sine grata mentione transmisit: testatus per edictum, "tanto impensius petere se, ut natalem patris Drusi celebrarent, quod idem esset & avi sui Antonii".

XIX. Addidit matri carpentum, quo per Circum duceretur: tribuit quoque cognomen Augustae, quod femina, virtutis, quam lau-

Digitized by Google

dis, ſtudioſior, recuſaverat. Fratris memoriam, per omnem occaſionem celebratam, novis auxit honoribus. Agrippinam & Juliam de exſilio reduxit. Magna quoque uſus in priores Principes reverentia, jusjurandum neque ſanctius ſibi, neque crebrius inſtituit, quam "per Auguſtum". Tiberio marmoreum arcum juxta Pompeii theatrum, decretum olim ab ſenatu, ſed omiſſum, peregit. Omnia quidem Caii acta reſcidit, ejuſque ſtatuas noctu ſuſtulit: vetuit tamen eum ignominia notari; diemque necis, quamvis exordium principatus ſui, inter feſtos referri: quo edicto Principi dignitas, ſceleribus odium manebat.

XX. Haud minus diligenter cautum, ut nova dominatio regibus externis commendaretur. Reſtituta Antiocho Commagene parſque Ciliciae, a Caio data & adempta. Mithridates, Iberus, Armeniae rex, in vincula conjectus, primum libertatem, deinde regnum recepit. Data Polemoni, regi Boſporano, Cilicia, ut Mithridates, a magno Mithridate oriundus, Boſporo donaretur. At ut egregia Agrippae officia, ita maxima fuit gratia. Non modo confirmata regna, quae jam acceperat, additae adhuc Judaea & Sa-

Digitized by Google

maria. Ei quoque decreta conſularia inſignia, fratri ejus Herodi praetoria; multaque Judaeis indulta.

XXI. Eamdem aequitatem expertae urbes, quibus ſtatuas a Caio ablatas reſtituit. Neque opum appetens, vetuit ne quis, ſi cognatos haberet, Caeſarem ſcriberet heredem. Demum quod in novo principatu difficillimum, abruptam ſeveritatem inter & nimiam facilitatem temperamento uſus, varia ſanxit, quibus ſanctitas legum, civium tranquillitas, ludorum moderatio adſtrueretur. Ipſe obſervantia in conſules, benignitate erga omnes, ingens modeſtiae exemplum ſimul & incitamentum.

XXII. Laeta quidem initia, ſed cito corrupta Meſſalinae libidinibus, inſolentia libertorum, hebete ingenio Principis, qui natura invalidus, ſerviliter eductus, literatior mitiorque, quam Principem mediocris animi decet, pauca pro arbitrio & majeſtate imperii, pleraque alieno impulſu, praecipitive metu aut impetu actitavit. Dominationem vix retenturus, ni mole ſua aliquandiu ſtarent magna imperia; legatique exercituum obviam, ſed turpem, fortunam inluſtriori obſequio poſtpoſuiſſent.

Digitized by Google

XXIII. Hos inter eminuit Sulpicius Galba, Germaniae ſuperioris legatus. Licet ad nova ſummaque a multis ſtimulatus, officii conſtans maluit imperium defendere, quam uſurpare; Cattoſque devicit, fide & victoria intimam Principis benevolentiam promeritus. Laudis aemulus, P. Gabinius, Germaniae inferiori praefectus, Chaucos debellavit. Aucta laetitia, quod, quae ſola apud hoſtes ſupererat, captam Variana clade legionis aquilam reportavit; indeque *Chaucius* cognomen obtinuit. Princeps vero, periculorum & bellorum expers, ob utramque victoriam *Imperator* ſalutatus eſt. Liberti, exquiſitiore adulatione, in ejus laudem traxere ſopitas in Mauretania turbas, quae jam ante Caii caedem defierant; & ut triumphalia ornamenta ob id acciperet, perſuaſere.

XXIV. At foediora meditabatur Meſſalina. Juliam, forma, nobilitate, cum Claudio neceſſitudine praecellentem exoſa, ferocem ejus animum, & ad imperantis fortunae obſequia flecti neſcium, impatientius ferebat. Primum muliebri aemulatione certavere, mox, prout ſolitum, vicit potentia. Juliaque variis criminibus atque etiam adulteriis infamata magis, quam convicta, rurſus in

Digitized by Google

exfilium projecta eſt. Annaeus Seneca, adulteriorum ſocietati innexus, in inſulam Corſicam relegatur: ſapientiae fama, Juliae ſuperbia facile excuſandus, niſi ipſe ingeniofioribus ſcriptis, adulatoriis precibus, amarulentis dicteriis, ferme fidem criminationibus feciſſet.

XXV. Inter haec diſſidia, Claudius filias ſuas, Antoniam Cn. Pompeio Magno tradidit, Octaviam L. Junio Silano deſpondit, exigua maritali pompa, poſt triſtiore exitu. Generos vigintiviratu tantum donavit: dein feriis Latinis Urbi praefecit: tarde conceſſit, ut quinquennio maturius, quam per leges, magiſtratus peterent. Eodem anno nati ſunt, ortu & fato diſpares, moribus & ſtudiis pares, familiari neceſſitudine ſummi, Britannicus & Titus: mira hominum ſorte, quae utriuſque vices variaſſe videtur, ut ſinguli plus deſideriorum relinquerent. Britannicus Claudio & Meſſalina genitus vigeſimo paterni imperii die: Titus Veſpaſiano & Flavia Domitilla tertio Kal. Januarias.

AN. V. C. DCCXCV. AER. CHR. 42.

XXVI. Claudius Caeſar II & Caecina Largus, conſules, in acta Auguſti juravere.

Digitized by Google

In ſua jurari vetuit Princeps; prorogatoque per totum annum Caecinae magiſtratu, ipſe bimeſtri dignitate ſe abdicavit, nihil contra leges ſe feciſſe jurejurando profeſſus, majore vanitate, quam veritate. Conſul enim, & extra honorem, juris dicundi aſſiduus, nonnumqūam a praeſcriptis legum diſcedebat, quandoque ex bono & aequo, ſaepius inconſulta animi levitate, & amenti ſimilis. Novas tamen leges condidit, ſua utilitate, Principis civilitate probatas. Rectores enim provinciarum, diutius in Urbe morari ſolitos, juſſit in eas ante Kalendas Apriles proficiſci: ſimul vetuit, "ne ſibi pro accepta dignitate gratias agerent"; profeſſus "ſe Principem; ipſos eſſe principatus adjutores: apud ſe gratiam laudemque nacturos, ſi ex provinciis, officio egregie perfuncti, reverterentur". Legem Papiam Poppaeam, a Tiberio jam mollitam, ſed in hoc Urbis luxu adhuc graviorem, moderatus eſt; & ſexagenarios, qui uxorem quinquagenaria minorem ducerent, caelibum poenis exemit. Pupillis conſuluit, eorumque tutelae curam, olim praetoribus commiſſam, conſulibus mandavit. Ad lites quoque expediendas, rerum actum, diviſum antea in hibernos aeſtivoſque menſes, con-

Digitized by Google

junxit. Demum ne publica pecunia periret, tres praetorios viros, qui aerario debita exigerent, inſtituit: additis lictoribus, ut creſceret dignitas. Ad divina quoque converſus, Urbem, religionum multitudine fatiſcentem, ſacris Eleuſiniis augere voluit. Laudabiliore cura, Gallorum, quos furioſa Druidarum ſuperſtitio humanis victimis deos placare docuit, feros ritus, civibus ſub Auguſto jam interdictos, abolevit, ceteraque hujus ſuperſtitionis vetuit. Triumphato enim terrarum orbe, haec nobiliſſima Romanos manebat victoria, ut religionum monſtra tollerent, victaſque gentes rationi ſervire, ac felices vivere cogerent.

XXVII. Interim Suetonius Paullinus bellicae laudis famam in Africa auſpicabatur. Aedemon enim, libertus, arma reſumpſerat, ut Ptolemaeum regem, a Caio Caeſare interemptum, ulciſceretur. Ne per moras audacia gliſceret, Suetonius Mauretaniam propere ingreſſus eſt. Barbari, exercitibus Romanis tum primum in regione ſua bellantibus exterriti, refugere. Dum in latebris premebantur, ventum ad montem Atlantem, tot fabulis celebratum.

Digitized by Google

XXVIII. Suetonius Polybium, egregium Annalium conditorem, qui Africae litora exploraverat, aemulatus, terras ſcrutari voluit; primuſque Romanorum ducum Atlantem aliquot millium ſpatio tranſgreſſus, loca, hactenus tantum virilem ob luxuriam audita, inviſit. Vaneſcentibus, quo propius accedebat, fabulis, nulla occurrere Aegipanum Satyrorumque veſtigia: ſed comperit imas montis radices, denſis altiſque repletas ſilvis, incognito genere arborum, proceritate ſpectabili, enodi nitore, fronde cupreſſis ſimili, gravi odore, & tenui obducta lanugine, ſericis velleribus nihilo viliore: verticem altis etiam aeſtate operiri nivibus. Decumis eo pervenerat caſtris: ultra ad fluvium Ger contendit per ſolitudines nigri pulveris, eminentibus interdum velut exuſtis cautibus; locaque inhabitabilia fervore, quamquam hiberno tempore, expertus: proximos ſaltus, elephantorum, ferarum & ſerpentium gregibus infeſtos adiit; & a Canariis populis, qui dividuis ferarum viſceribus victitabant, inhabitari comperit.

XXIX. His exploratis, rebellibuſque territis magis, quam ſubactis, Suetonius Romam repetiit, cum pertinaciore hoſte poſtea

Digitized by Google

dimicaturus. Coepta vero in Mauretania absolvit Cn. Hosidius Geta; Salaboque, barbarorum duce, semel atque iterum devicto, & ad solitudines frustra delapso, initae tandem pacis conditiones. Duas in provincias, Tingitanam & Caesarienſem, divisa est Mauretania, duobusque equestris ordinis rectoribus permissa. Conciliandi animos simul & firmandi dominationem causa, oppidum Tingi coloniam fecit Claudius; appellatumque Tradusta Julia: eodem honore donatae Caesarea, olim Jubae regia, & Lixos, fabulosissime antiquis narrata. Deductis quoque veteranis, conditum Oppidum novum; & Latium datum Tipasae: Rusucurium civitate honoratum. Interim Musulanorum manu, Numidiam turbare ausa, victa caesaque, tranquillitas Numidiae est reddita.

XXX. Romano nomine apud barbaros ita inclarescente, fame in Urbe laborabatur ob luxum & superstites Caianae stultitiae reliquias magis, quam terrarum infecunditate. Princeps innata bonitate, metuque plebis, numquam insolentioris, quam cum ea tumultuandi occasione abutitur, publicae penuriae in praesentia subvenit, negotiatoribus lucri spe excitatis, & suscepto in se damno, si quid

Digitized by Google

per tempeſtates accidiſſet. Facilius majuſque incitamentum, honores addidit: civibuſque, qui naves mercaturae cauſa fabricarent, vacationem legis Papiae Poppaeae; Latinis jus Quiritium; feminis jus quatuor liberorum conſtituit. Quae quidem in tanta legum mutatione duravere, uſu & neceſſitate defenſa.

XXXI. Futuri quoque providus, & veritus ne, ob tempeſtatum adverſa & importuoſum mare, eadem rediret frugum egeſtas, opera duo pari & inenarrabili impendio, utilitate & exitu diſpari, adgreſſus eſt. Agros enim Romanos, infinitis villarum ſpatiis in dies magis arctatos, lacum Fucinum emittendo augere incaſſum molitus eſt, prodigentiae reus & adverſus luxuriam invalidus. Portum vero Oſtienſem, a divo Julio ſaepe deſtinatum, ſemper ob difficultatem omiſſum, nec niſi Trajani, Principis optimi, auſpiciis abſolvendum, felicius coepit. Primum repugnavere architecti. Sed vicit Principis auctoritas. Immenſum egeſta terra; mareque immiſſum. Grande adhuc acceſſit ſubſtructionis miraculum, cum navis, omnium maxima, qua Caius obeliſcum, qui in Vaticano Circo viſitur, ex Aegypto importaverat,

Digitized by Google

tribus molibus turrium altitudine in ea exaedificatis Puteolano pulvere, demersa est, ut Pharus, Alexandrini aemulus, superponeretur. Tantas inter operas fors obtulit spectaculum, raritate & celebritate memorandum. Orca, carnis immensae, dentibus truculenta, portum subiit. Per complures dies satiata naufragiis tergorum e Gallia advectorum, vado tam profundum incubuit, ut circumagi nequaquam posset. Dum saginam persequitur, fluctibus in litus propulsa, dorso supra aquas inversae carinae instar eminuit. Admirationi, dein ludo, patuit bellua. Adstante Principe, comitantibus cohortibus praetoriis, spectante populo Romano, cum monstro a multo milite dimicatum. Numerosa lancearum vis congesta e navigiis adsultantibus, quorum unum, reflatu belluae oppletum unda, periit.

XXXII. Alia ludorum genera, Romae habita, non ferino, sed humano furore, Principisque dedecore foeda, in Urbis luctum cito erupere. Nam certamina, stante republica ad duranda corpora & erigendos animos instituta, vigente dominatione efferavere Principes, qui ex funerum adsuetudine ad atrocia libita insolescebant. In his gladiatoriis mu-

Digitized by Google

neribus, insitam natura & literis humanitatem Claudius exuit tanto facilius, quod se primum servilis audaciae vindicem esse gloriabatur, & eo sanguine gaudebat populus. Servos ergo libertosque, falsis in dominos criminationibus, Tiberio Caioque imperitantibus famosos, feris objecit. Rei quidem, verum aliis poenarum generibus multandi, cecidere tam multi, ut Augusti statuam, eo loci positam, alio transferri jusserit, ne vel caedes semper inspicere videretur, vel semper velata esset. Haud erubescente Principe ea jubere & spectare, quibus aeream Augusti imaginem intersse eum puderet.

XXXIII. Tot caedibus obduruit: saepe ausus imperare, gladiatores, ac maxime retiarios jugulari, ut exspirantium facies videret. Mox a facinorosis vilioribusque capitibus ad meliora nobilioraque impetum cepit, Messalina & libertis crudelitatis instinctoribus; ac, si quid haesitaret, metu imminentis periculi ad audaciam impellentibus. C. Appium Silanum, Hispaniae rectorem, iis artibus circumvenere. A Principe accitus, in Urbem redierat; acceptaque in matrimonium matre Messalinae, summa erat adepturus, si ipsi minus virtutis, Messalinae minus libidi-

Digitized by Google

nis fuiſſet. At eam, ne materni quidem thalami reverentem, averſatus, deſpectam cupidinem in odium tanto implacabilius, quanto turpius, vertit. Cum tamen nihil eſſet criminis, quod objiceretur, adverſus eum per commenta graſſari conſenſerunt Meſſalina & Narciſſus; diviſaſque inter ſe partes ita ſunt exſecuti.

XXXIV. Narciſſus, ſimilis attonito, Claudii cubiculum ante lucem inrupit, adfirmans "ſomniaſſe ſe vim Principi ab Appio inlatam". Meſſalina, in admirationem formata, "ſibi quoque eamdem ſpeciem aliquot jam noctibus obſervari" retulit. Nec multo poſt ex compoſito "inrumpere Appius" nuntiatur, cui pridie ad id temporis, ut adeſſet, praeceptum erat: quaſi plane repraeſentetur ſomnii fides, "arceſſi ſtatim ac mori" jubetur. Poſtero die Claudius, fraudis, nedum ſceleris, minime ſuſpicax, ordinem rei geſtae pertulit ad ſenatum, ac liberto gratias egit, "quod pro ſalute ſua etiam dormiens excubaret".

XXXV. Tum omnes indignari: Principem, imbecillitate crudelem, formidare. Proceres, quibus plus imminet periculi, & majores ſunt ſpes, novas res meditantur.

Digitized by Google

Annius Vinicianus, harum appetens, sed quod deerant milites, movendis impar, Furium Camillum Scribonianum, Dalmatiae legatum, ad defectionem literis sollicitat: et facilius ad consilia traxit, quod imperii avidus esset, nec indignus haberetur, legionesque cum multis auxiliis suppeterent. Permotae ducis auctoritate, novitatis inlecebra, mutant sacramentum. Senatores plurimi & equites, easdem partes secuti, Dalmatiam petunt.

XXXVI. Scribonianus, adspirantis fortunae initiis elatior, ratusque timidam Claudii mentem citra bellum terreri posse, eum contumeliosa minacique epistola "cedere imperio" jubet, "vitamque otiosam in privata re agere". Mobilis Caesar jam dubitabat, adhibitis principibus viris, an obtemperaret, cum nuntiatum est, "Scriboniani fortunam evanidam periisse: legionum neque aquilas ornari, neque signa convelli moverique potuisse: milites deûm metu, violatae fidei pudore in paenitentiam conversos, Claudii imagines adorasse, renovasse sacramentum. Scribonianum, amentem animi, in Issam insulam profugisse; ibique a Volaginio, in uxoris gremio, occisum quinto rebellionis die".

XXXVII.

Digitized by Google

XXXVII. Talibus nuntiis e timiditate ad ſecuritatem revocatus Princeps, Volaginium e gregario milite ad ſummam militiae provexit; atque, ut exercituum fidem conſecraret, praeter ſolita praemia voluit, "legiones ſeptimam & undecimam Claudianas, pias, felices a ſenatu appellari"; laudem providi Principis reportaturus, ſi, punitis flagitii repertoribus, ceteros diſſimulaſſet, aut clementia devinxiſſet. At Meſſalina & liberti, arrepta hac ſaeviendi & in quorumvis fortunas involandi occaſione, eum ad immodicam ſeveritatem exaſperarunt. Vinicianus aliique plurimi voluntaria morte judicium antevenere. Ceteri, ſenatores, equites, viri ac mulieres cuſtodiis carceribuſve attinebantur: ad indicium attracti non modo ſervi ac liberti, ſed ingenui quoque tum peregrini, tum cives; nonnulli etiam ſenatorii & equeſtris ordinis tormentis ſubditi, licet, ineunte principatu, "ſe nemini libero tormenta adhibiturum" juraſſet Claudius. Ipſe, medius inter conſules, ſella curuli aut tribunicio ſubſellio ſedens, adſtantibus praetorii praefectis, praeſentibus libertis, ad ſenatum referebat, laeſamque majeſtatem ulciſcebatur.

Digitized by Google

XXXVIII. Praeter viros, feminae complures in carcere ſupplicio adfectae; quod foedius, aliae, captivarum inſtar, vinclis onuſtae, ad tribunal protrahebantur, earumque corpora in Gemonias projiciebantur. Enectorum vero extra Urbem capita tantum expoſita. Liberis vita, quibuſdam paterna bona permiſſa. Sed odium ſeveritatis auxit nocentiſſimorum impunitas, quam a Meſſalina & libertis favore & pecunia redemere; ut ſcelere, ita & gratia infames.

XXXIX. Feralem ſcenam paucorum fortitudo illuſtravit. Hos inter famam promeritus eſt Galaeſus, Scriboniani libertus: inductus enim in curiam multa locutus eſt libere. A Narciſſo autem, in medium prorumpere auſo, interrogatus, "quidnam ageret, ſi Scribonianus imperaret"; forti reſponſo, "a tergo adſtans, tacerem", ejus inſolentiam retudit.

XL. At memoriam omnem vicit Arria, Caecinae Paeti uxor. Jam plurima laude nobilis, & apud Meſſalinam acceptiſſima, potuiſſet ſe a marito, Scribonianae conjurationis ſocio, ſegregare, & ſuperſtes vivere. Sed vita morti poſthabita, cum Paetus, occiſo Scriboniano, navem eſſet aſcenſurus, ut Ro-

Digitized by Google

mam traheretur, ipsa milites oravit, "ut simul imponeretur. Daturi", inquit, "estis consulari viro servulos aliquos, quorum e manu cibum capiat, a quibus vestiatur, a quibus calcietur; omnia vel sola praestabo". Re non impetrata, conducit piscatoriam naviculam, ingensque navigium minimo sequitur.

XLI. Mox, cum Romam venit, causam apud Claudium dicit; uxoremque Scriboniani, indicium profitentem, increpans, "ego", inquit, "te audiam, cujus in gremio Scribonianus occisus est, & vivis"? Tantam animi ferociam miratur & timet Thrasea, ejus gener; quaeque sibi evenirent quasi praescius, deprecatur "ne mori pergat; filiamque suam cum marito, si sibi pereundum quoque fuerit, mori cogat". Arria, tanto animosior, quanto filia carior, respondet, "si tam diu tantaque concordia vixerit tecum, quam ego cum Paeto, volo".

XLII. Aucta hoc responso suorum cura, attentius custoditur. Id sentit, & queritur, "eos nihil agere: posse quidem efficere, ut male moriatur, ne moriatur, non posse". Haec vix effata, exsilit cathedra; adversoque parieti capite ingenti impetu impacto, cor-

Digitized by Google

rait ſenſus expers, conſtantiae tamen haud immemor. Nam refocillatae prima verba fuere: "dixeram vobis inventuram me quamlibet duram ad mortem viam, ſi vos facilem negaſſetis". Tam acriter ſuprema tentantem fors juvit. Extrema enim neceſſitate marito nuntiata, percuſſorem exoſus, nec tamen mortis ſatis firmus, pugione pectus praetentabat. Teſtis Arria ferrum ſtringit, perfodit pectus, extrahit pugionem, porrigit marito; additaque voce, "Paete, non dolet", occumbit.

XLIII. Abſimili, ſed aeque ſingulari facto Lucius Otho inclaruit. Recti enim pervicax, auſus eſt in Illyrico milites quoſdam, quod motu Scriboniani ex paenitentia praepoſitos ſuos, quaſi defectionis adverſus Claudium auctores, occiderant, capite punire, & quidem ante principia, ſe coram: quamvis ob id ipſum promotos in ampliorem gradum a Claudio ſciret. Gloriam apud militaris diſciplinae peritos adeptus, gratiam apud Principem minuit. Hanc, retectis nefariis Romani equitis adverſus eum conſiliis, ut anno proximo opportunius expediam, non modo recuperavit, ſed etiam auxit, magna priſcae ſeveritatis, maxima infractae fidei

Digitized by Google

laude. Hoc anno, uno e tribunis plebis defuncto, ceteri, quamquam praesentibus consulibus, senatum coegere, ut alter sufficeretur.

AN. V. C. DCCXCVI. AER. CHR. 43.

XLIV. Tiberio Claudio Caesare III & L. Vitellio II consulibus, festorum sollemniumque dierum numerus in immane creverat. Malum pietate coeptum, auctum licentia, glisens in dies adulatione, repressit Caesar, non exstinxit: immo moribus ad inaniora delabentibus, revaluit cum majore religionum & imperii detrimento. Abolita simul reliqua Caii dominationis opprobria: quaeque vel nefarie, vel immerito donaverat, aut rapuerat, restituta. Curatoribus viarum, praeter dignitatem, reddita quoque pecunia, quam damnationibus & hasta extorserat Corbulo. Paullulum mollita lege, edictum, "ut provinciarum rectores ante medium Aprilem ex Urbe in provincias suas discederent".

XLV. At saevitum in Lycios, qui, exuta veteri modestia, exitialibus inter se discordiis laborabant, & Romanos aliquot occiderant. Iis adempta libertas, quam olim constantia & fide, piratis maria omnia infestan-

Digitized by Google

tibus, erant promeriti. Lycia contributa Pamphyliae, tum tanto fideliori, quod ante Cn. Pompeii victoriam fuerat cum piratis latrociniorum socia.

XLVI. Dum Claudius hac de re in curia cognoscebat, Lycium quemdam, civem Romanum, Latine adlocutus, eum Romani sermonis rudem esse indignatus est, jureque civitatis privavit: semper, uti adsolent impotentes Principes, indecora inter & decora ambiguus. Nam simul, iniquas graffandi artes exosus, ne criminationibus civium Romanorum jus violaretur, vetabat; simul leviſſimis de causis jus illud vel ipse adimebat, vel ita abjecte publicabat, "ut vitreis fractis venale" diceretur. Majore adhuc licentia, & quovis pretio apud Messalinam & libertos prostabat. Sic nomen, quanta cum imperii utilitate, tanta Urbis laude, cum praestantiſſimis & opulentiſſimis exterarum regionum viris sapienter a majoribus communicatum, coepit evilescere.

XLVII. Nec Messalina his praedationibus contenta, sed dominationis cupidine, qua nulla in feminis acrior, magis accensa, imperii munia, conspirantibus libertis, in se trahere: exercituum, provinciarum praefe-

Digitized by Google

ſturas vendere: in tota republica tam inclementer auctionari, ut, cum ne emendi quidem ſupereſſet facultas, Claudius populum in campum Martium coegerit, ibique rerum pretia ſtatuerit; publico ſuo dedecore, maximoque libidinum incitamento, quae numquam ferocius vigent, quam cum mollioribus remediis inritatae.

XLVIII. Poſt haec enim coepit Meſſalina nihil moderati habere; nec jam libidinibus, ſed ſceleribus certare: dignitate ad audaciam abuti: pudicitiam publicare: nobiliſſimos quoſque viros ac feminas ad voluptatum monſtra provocare: ſi adſenſerint, gratiam; ſi diſſenſerint, odia dividere: Claudium ſpectaculorum inlecebris ludificari: eum muliebri famulitio ita cingere, ut, dum haec, ſtupente & indignante Urbe, in propatulo patrabantur, unum Principem laterent, ipſeque hiſtrionem Mneſterem, Meſſalinae flagitia paventem, ipſius juſſis eſſe obnoxium juberet. Juſtus Catonius, praetoriarum cohortium praefectus, cum publicam infamiam indicio ulciſci pararet, Meſſalinae odio, Claudii juſſu morte adfectus eſt. Iiſdem artibus, crimine incerto, nec defenſione ulla data, Juliae, altera Druſi, altera Germanici

Digitized by Google

filia, divi Auguſti proneptes, ferro famevę enectae.

XLIX. Haec Caeſareae domus funera Claudii nece cumulare meditabatur eques Romanus. Scelus L. Otho, prodentibus ſervis, comperit, & detexit, magna quidem cum laude, quod anno ſuperiore, uti jam diximus, gratia apud Principem exciderat. Reus a tribunis plebis & conſulibus e Tarpeia rupe dejectus eſt. Mox de L. Othonis honoribus conſultatum. Senatus eum rariſſimo honore, ſtatua in palatio poſita, proſecutus eſt. Claudius quoque, ut praeſtito officio, ita liberalitate potior, Othonem inter patricios adlegit; collaudanſque ampliſſimis verbis, adjecit: "Virum eſſe, quo meliores liberos habere, ne optaret quidem".

L. Tum oblata tandem, quae per tot annos defuerat, bellorum materies. Bericus, aliique ex Britania ob ſeditionem profugi, iuſulam, a divo Julio proſpere tentatam, nunc domeſticis diſſenſionibus & inexperta novorum regum aetate vinci facilem, Claudio demonſtravere. Eo libentius audiri, quod triumphi decus quaereret Princeps, nec occupationes, quae libidines ſuas occulerent, averſaretur Meſſalina. Inſuper Britanni ob

Digitized by Google

non redditos transfugas tumultuabantur. Itaque juſſus eſt Aulus Plautius e Gallia exercitum in Britanniam tranſmittere, dum Caeſar elephantos ceteraque bellorum terricula pararet.

LI. At legiones, ſecum reputantes, quantula divus Julius in Britannia geſſiſſet, quam dira perpeſſus eſſet in Oceano Germanicus, exoticam & ultra terrarum fines militiam, plenam diſcriminis, laudis vacuam, aſpernabāntur. Plautius, vir bello egregius, gnaruſque milites fruſtra ad odioſa impelli, eos cunctando ad ſpem amoremque victoriae adducebat. Caeſar, morarum impatiens, Narciſſum mittit, qui rem deproperet. Is, perſonam juraque Principis in Urbe uſurpare ſolitus, Plautii tribunal conſcendit. Milites, ſuperbum genus, & opprobrii indignantiſſimum, liberti audaciam exhorreſcunt: "Io Saturnalia" occlamitant; & perſonatum Principem ludificati, "Plautium ducem ſuum eſſe, quo juſſerit, ſtatim ituros" gloriantur.

LII. Plautius, ne indignatio, ad res quaſque, & inprimis militares validiſſima, elangueſceret, confeſtim naves conſcendit; copiaſque in tres partes diſtraxit, ut ſuis facilior, hoſtibus formidoloſior foret adpulſus.

Digitized by Google

Reflante vento aliquandiu retroacti: reſtitere tamen, tum paenitentiae pudore, tum facis ab oriente ad occidentem tranſcurrentis viſu ad pertinaciam obſirmati; naveſque plano & nudo litore conſtituere. Nam Britanni, adverſante vento, nihil ſibi timendum rati, & in ſua remigrantes defenſionem omiſerant. Ubi autem audiere, Romanos adpuliſſe, terror, uti adſolet, barbaros attonuit. Nec redire, nec congredi auſi, ſe in paludes ac ſilvas abdidere, ut ſicut olim divum Julium mora fatigavèrant, ita Plautium otio frangerent.

LIII. At ille, haud neſcius lentitudine ſuos defecturos, hoſtes valituros, ſtatim bellum adgredi: latitantes Britannos venari: omnibus veſtigiis indagare; ac tandem divulſos offendere, qui vix, ſociati, fuiſſent bello pares. Devicto Cataratacо, mox caeſo Togodumno, Cunobelini nuper mortui filiis, ſuga ſalutem quaeſiere; parſque Bodunorum, qui Catwillaunis parebant, in fidem recepta. Praeſidio ibi relicto, Plautius ad amnem progreſſus, hoſtes, quaſi inſuperabili obice defenderentur, in ſecordiam reſolutos reperit: jubet Gallos, flumina in armis tranare ſolitos, impetum in eos facere:

Digitized by Google

viris parcere; ſed equos telis figere: cetera ſe proviſurum". Juſſa faceſſunt alacres. Britanni, inſperata audacia perturbati, in eſſeda ſe recepere. At undique vulneratis equis, curribus excuſſi, obtritique, multa cum ſtrage inulti pereunt.

LIV. Interea Fl. Veſpaſianus, ad ſumma genitus, ejuſque frater Sabinus, legatus, amnem trajecerant. Hoſtes, Gallorum inruptione & ſuorum luctu turbidos, inopinato adorti, plurimos interfecere. Qua clade non dejecti, inritati magis Britanni, ſumptoque ex furore conſilio, patientiam incuſant, ſeque ad proelium accingunt: nec niſi in poſterum diem differtur. Utrinque acerrime pugnatum: nutabat victoria; jamque hoſtes Hoſidium Getam circumſiſtebant, cum pericula in eorum exitium is convertit, eoſque tam fortiter ſuperavit, ut, licet nondum conſul fuiſſet, triumphalia inſignia obtinuerit.

LV. Infeliciter tentata fortitudine, Britanni ad artes refugere. Properant ad Tameſis, aeſtu intumeſcente adcreſcentis, oſtia, gnaris locorum tuta, ignaris infida, flumenque trajiciunt. Romani, eos proſecuti incautius, periclitati. At Galli, ob rei diffi-

Digitized by Google

cultatem audaciores, enatant, dum alii, ſupra eum locum per pontem tranſgreſſi, ſimul Britannos adoriuntur, & multiplici pugnae imparatos ingenti clade proſternunt. Laetiſſimam victoriam luctus occupavit. Fugitivos enim dum ipſi inconſultius quoque inſequebantur, inviis paludibus cum multa ſuorum jactura hauſti ſunt.

LVI. Plautius, populos, neque Togodumni nece, neque ſuis cladibus fractos, ſed ferocia iraque tumentes, non temere provocandos ratus, occupata loca firmat praeſidiis; caſtraque in dextra Tameſis ripa metatus, res geſtas, quidque ſit ſpei periculive, uti erat juſſus, Principi renuntiat. Addit "validas quidem eſſe gentes: at ſi cetera ad id bellum parata accederent; & Caeſar numine ac praeſentia milites tutaretur, certam dignamque Principe adeſſe victoriam".

LVII. Claudius, triumphi decus animo jam praecipiens, res urbanas ceteroſque exercitus Vitellio, collegae ſuo, commendat, ipſe ſtatim ad Britannicam expeditionem profecturus. niſi fuiſſet Galbae, quem fide ſcientiaque militari acceptiſſimum praediximus, morbo retardatus. Ubi convaluit, Caeſar magno apparatu ab Oſtia in Britan-

Digitized by Google

niam navigavit, magis cum mari, quam cum hostibus conflictatus. Bis enim vehementi circio paene demersus est prope Liguriam, juxtaque Stoechadas insulas. Cum tandem Massiliam adpulisset, Gesoriacum pedestri itinere petiit: mox ad ostia Tamesis transmisit.

LVIII. Flagrantibus militum, quos Principis aspectus ad gloriam magis adhuc quam ad laetitiam excitat, studiis exceptus, flumen transit; nactusque Britannos, qui, nuntiato Caesaris adventu, occurrerant, illico proelium committit, eosque principatus majestate potius, quam pugnae atrocitate superat. Incruenta victoria laetus, Camulodunum, Cunobelini regiam, occupat; populos in deditionem accipit, aut vi subigit. Intra sexdecim dies saepe imperator consalutatus, pluraque temporum opportunitate, quam divus Julius bellorum fama potitus, in Urbem revertitur, relictis Plautio & Vespasiano, qui faustis auspiciis inchoata consilio ac fortitudine perficerent.

LIX. Aucto novis terris imperio, adcrevit eruditio Romana, mira quidem, sed nota bellorum ac literarum societate. M.

Digitized by Google

Agrippa, quo meliorem civem Roma vix umquam tulit, orbem terrarum Urbi spectandum proponere erat adgressus: divus Augustus complexam eum porticum ex destinatione commentariisque Agrippae ab Octavia inchoatam peregerat. Magnificum quidem & victore populo dignum fuit spectaculum. Nondum tamen geographia Romanis scriptis innotuerat. Id opus, a M. Tullio Cicerone saepe tentatum, semper omissum, privatis incertum an publicis rebus utilius, ita adcuravit Pomponius Mela, ut, si a prioribus scriptoribus studiorum antiquitate vincatur, omnes elegantia vicerit.

Digitized by Google

SVPPLEMENTVM
LIBRI DECIMI
ANNALIVM

BREVIARIVM

I. Honores, ob Britannicam victoriam, Claudio & Meſſalinae decreti. II. Claudius Urbem triumphans ingreditur. III. Publica laetitia. IV. Foeda libertorum decora. V. Res Romana Plautii & Veſpaſiani armis victricibus in Britannia promovetur. VI. Mors Agrippae. Judaea iterum in provinciam redacta. VII. Achaia proconſulari imperio reddita. Aerarium praetoribus reſtitutum. VIII. Complures leges, aliae utiliter, aliae temere mutatae. X. Inconſulta Principis in Cottium liberalitas. XI. Puniuntur Rhodii. Umbonius Silio ſenatu pulſus. Dilatae ob ſacra nundinae. XII. In ſollemnibus ſacramentis vetus mos revocatus. Imminuta publicarum imaginum multitudo. XIII. In iis ponendis egregie majorum prudentia: immenſa recentioris aevi ambitio. XV. Praefectorum provinciis repreſſa avaritia. XVI. Audacia multitudine legum inritata. Parricidialis furor. XVII. Singulare edictum de ſolis eclipſi. XVIII. Ludi ſ congiarium. XIX. Tiberius Alexander Judaeae procurator. Izates, Adiabenorum rex, ejuſque mater Helena, Judaicam religionem profeſſi. XX. Romanos inter & Parthos medius Izates utriuſque imperii gratiam aucupatur. XXII. Parthorum favore increſcit. XXIII. Hermaphroditus Romae viſus, & a Claudio expiatus. XXIV.

Digitized by Google

Scarus e mari Carpathio in Italiam aſportatus. XXV. Mentagra ex Aſia invecta. XXVI. Valerius Aſiaticus abdicat ſe conſulatu. XXVII. M. Vinicii ruina. XXVIII. Aſinii Galli, imperio inhiantis, veſana conſilia & poena. XXIX. Coercita libertorum audacia; patronorum duritia. XXX. Princeps Meſſalinae libidinibus turpiter obnoxius. Foeda Mneſteris & populi Romani jurgia. XXXI. Thracia in formam provinciae redacta. Legatio ex inſula Taprobane miſſa. XXXII. Hujus legationis occaſio. XXXIII. Inſulae mores & uſus. XXXV. De Seribus quoque auditum. Eorum corporis forma, commerciorumque ratio.

Haec tribus annis geſta.

An. V. C.	Aer. Chr.		
DCCXCVII.	44.	*Coſſ.*	L. QVINCTIO Criſpino II, M. STATILIO Tauro.
DCCXCVIII.	45.	*Coſſ*	M. VINICIO II, TAVRO Statilio Corvino.
DCCXCIX.	46.	*Coſſ.*	VALERIO Aſiatico II, M. Junio Silano.

CLAVDIVS

Digitized by Google

CLAVDIVS generos ſuos, Pompeium Magnum & Silanum, victoriae nuntios praemiſerat. Ubi primum Romam venere, ſenatus in ejus honoribus fuit eo profuſior, quod tot abhinc annis victorem Principem non vidiſſet. Super triumphum, ludos annuos, duos arcus, alterum in Urbe, alterum Geſoriaci, exſtruendos, datum ipſi cognomen, ejus filio nomen *Britannici*. Decretum quoque, "ut Meſſalina, ſicut olim Livia, primum in conſeſſu locum occuparet, & carpento veheretur". Praeterea cum per dedecora prioris principatus in hujus laudes ire patres eſſent ſoliti, juſſum "aerea Caii Caeſaris numiſmata, quae ejus imaginem referrent, conflari". At quaſi aes illud non poſſet, niſi ad probra, liqueſcere, in Mneſteris, hiſtrionis, quondam Caii familiaritate, tunc Meſſalinae libidinibus infamis, ſtatuas obriguit.

AN. V. C. DCCXCVII. AER. CHR. 44.

II. Interim Princeps, ſolvens e Vatreni portu, praegrandi domo verius, quam nave, Adriam intraverat; moxque Romam ſexto, quam profectus erat, menſe rediit, Quinctio

Digitized by Google

Crispino II & Statilio Tauro consulibus. Civitas omnis obviam effusa, multi provinciarum praesides, legatique, qui coronas aureas adtulerant, nonnulli etiam exsules ob publicam laetitiam revocati, triumphantem maximo apparatu excepere. Praeter celebritatis solita, currum carpento secuta est Messalina: secuti & triumphalia ornamenta eo bello adepti, sed ceteri pedibus & in praetexta; Crassus Frugi equo phalerato, & in veste palmata, quod eum honorem iteraverat. Cum ad aedem Jovis Capitolini perventum, victor Princeps, divum Julium imitatus, gradus genibus ascendit, duobus suis generis innitens; laureamque in gremio numinis depositi.

III. Ad triumphi pompam accessere ludorum hilaria, quos Princeps, accepta ob eam rem consulis potestate, duobus simul theatris, ut populo gratificaretur, celebravit. Tot quidem equorum certamina, quot per diem edere liceret, promiserat: verum propter ursorum caedes, athletarum pugnas, pyrrhicas puerorum ex Asia evocatorum saltationes, haud plura, quam decem actitata. Spectaculi raritate ac dignitate praestitit expugnatio direptioque oppidi, ad imaginem

Digitized by Google

bellicam & deditionem Britanniae regum in Martio campo edita, cui Princeps praesedit paludatus. Alios insuper ludos, senatus permissu, fecere theatralium operarum duces.

IV. Haec quidem decora, & digna Principe, ni fuissent libertorum honoribus foedata. At Posidi, eunucho, inter militarium fortissimos arma insignia tamquam participi victoriae dono data: permissum Harpocrati, ut lectica per Urbem veheretur, & spectacula publice ederet. Ausus & Polybius inter duos consules ambulare. Narcissus ceterique liberti per majora adhuc favoris ludibria in fortunam & principatum insultabant, Dum Princeps ea vel ferret patientius, vel licentius permitteret, Rufus Pollio, praetoriarum cohortium praefectus, imaginem ac sedem inter senatores, quotiens Claudium in curiam comitaretur, obtinuit. Et ne id novum videretur, Princeps exemplum Augusti, qui eadem Valerio Liguri tribuerat, causabatur. Majore adhuc invidia, Laco, quondam praefectus Vigilum, tum Galliae procurator, super hos honores consularia ornamenta adsecutus est.

V. Senatus, amore, an munificentia Principis inlectus, magnifice de bello Britannico

Digitized by Google

loqui: gesta praedicare: futura providere; &, ut hostes libentius ad deditionem venirent, decernere, "quaecumque Claudius ejusve legati agerent, aut cum Britannis transigerent, senatum populumque Romanum fixa & in perpetuum rata habiturum". Plautius, talibus incitamentis haud indigens, sed bellica laude suaque dignitate magis exstimulatus, coepta feliciter, felicius exsequebatur; adsumptoque in partem laborum & gloriae Vespasiano, proximam Britanniae partem in provinciam redegit: nec regendi minus, quam vincendi peritus, feroces animos religionibus artibusque Romanis paullatim mollivit.

VI. Nuntiatum interea Agrippam, regem, quem saepe memoravimus, repentino morbo correptum exspirasse. Claudius veteris necessitudinis memoria regnum ejus filio, in Urbe educto, sibique acceptissimo, destinabat. Deterruere liberti, "juvenem, pubertatis annos vix egressum, tantae rei imparem", obtendentes. Itaque Judaea iterum in provinciam redacta; missusque Cuspius Fadus procurator. Ne tamen vel in Agrippam ingratus, vel Judaeis infensus videretur Princeps, coepit juniorem Agrippam cariorem habere: Judaeorum, qui stolam sactam,

Digitized by Google

coronamque repeterent, poſtulatis adnuere; in locum Marſi, Syriae praefidis, defuncto regi invifi, Caſſium Longinum ſufficere; eique, ut injurias, abs Caeſarienſibus & Sebaſtenis inlatas, ulciſceretur, imperare. Herodi, Chalcidis regi, templum, ejus theſauros, juſque ſummi pontificis deligendi permiſit: cetera demum dilargitus, quae ſolent Principes voluntatis ſuae impotes, alienis libidinibus obnoxii.

VII. Eadem libertorum licentia, incertum an populi ambitu, forte ipſius Principis, civilem famam adfectantis, facilitate, Achaia Macedoniaque, quas Tiberius ad curam ſuam tranſtulerat, ſenatui redditae. Dein cum imbecilli Principes magis in commutandis, quam perficiendis inſtitutis, lubidinem habeant, hac quoque via ad gloriam contendit Claudius; curamque aerarii Saturni, a divo Julio praetoribus datam, quaeſtoribus reſtituit. At ut vetera novitate celebrarentur, edixit "duos quaeſtores fore aerarii praefectos: munus per triennium obituros: eo perfunctos, ſtatim vel praetoria dignitate, vel digno re geſta ſalario donatum iri". Eam auctoritatis acceſſionem omnium extra Urbem praefecturarum abrogatione compenſavit: ſimul, ut

Digitized by Google

praetoribus indulgeret, iis quaedam judicia, conſulum propria, permiſit; haud repugnantibus conſulibus, qui, priſtinae dignitatis obliti, munera aſpernabantur; in principis venerationem, magnaſque ſpes intenti.

VIII. Melius utiliuſque ad tollendas judiciorum moras ſancitum, "ut jurisdictio de fideicommiſſis quotannis, & in Urbe tantum delegari magiſtratibus ſolita, in perpetuum atque etiam per provincias poteſtatibus demandaretur". Juxta majeſtatem imperii quoque edictum, "ut, quibus provinciae a magiſtratibus interdicerentur, ii Urbe & Italia ſummoverentur". At novo exemplo, atque infra Urbis dignitatem, quoſdam Princeps ipſe relegavit, "ut ultra lapidem tertium vetaret ab Urbe egredi": quaſi Urbs, terrarum caput, imperii ſedes, communis cunctarum gentium patria, inter poenas haberi poſſet.

IX. Qua tamen re in publicum decus tantum peccabatur. Mox gravior, certamque in ruinam aliquando eruptura, reipublicae inlata labes, cum Claudius, humanitatis ſpecie, infregit diſciplinam militarem, quae vetuſtate & auſteritate pollet plurimum. Sapienter a majoribus cautum, ut exercitus a voluptatibus opibuſque amoverentur. Diu-

Digitized by Google

turno enim usu compertum est, militem in mortem numquam esse promptiorem, quam cum deliciarum ignarus. Lex quidem, qua uxorem habere prohibebatur, non abrogata; sed sancito, "ut jura maritorum haberet", opes & inritamenta libidinis addita.

X. Ni Galliae fuissent ad luxum & servitutem projectae, favissetque fortuna, imprudentibus Principibus nonnumquam benigna, prudentibus iniqua, in aliud promptiusque discrimen rempublicam Claudius adduxisset. Olim divus Augustus, quantum ab Alpibus Cottiis ob impervias rupes abruptasve viarum angustias immineret periculi gnarus, Cottium regem in amicitiam receperat, eoque devinxerat, ut rupes viasque explanaret, &, quibusdam civitatibus ejus ditioni additis, mallet praefecturam a Romanis acceptam gerere, quam paterno in regno dominari. Saluberrima consilia Claudius pervertit: nec tantum M. Julio Cottio regnum restituit, sed ampliavit; patente ad hostium adsultus imperio, nisi, rege mortuo, formidolosam liberalitatem sustulisset Nero, & Cottias Alpes in jus provinciae redegisset.

XI. Tot inter dominationis dedecora, visum tamen priscae severitatis exemplum;

Digitized by Google

& Rhodii, qui cives Romanos cruce necaverant, adempta libertate multati. At iis, ut ad delicta, ita ad paenitentiam facilibus, aliquot post annis, Nerone eorum causam agente reddita. Minus criminis, plus poenae fuit Umbonio Silioni, Baeticae praefecto, quem Claudius, e provincia evocatum, senatu demovit; quasi exercitibus in Mauretania bellantibus satis magnam frumenti vim non suppeditasset; re, quod libertis displiceret. Quantum e fortunis peteretur ignarus, immensam locupletemque supellectilem hastae subjecit. At vendita tantum veste senatoria, id unum supplicii repeti miratus, partis opibus, privatus quidem, sed securus, usus est. Hoc anno nundinae, ne sacra negotiorum tumultu interturbarentur, dilatae; quod alias saepe observatum.

AN. V. C. DCCXCVIII. AER. CHR. 45.

XII. M. Vinicio II, Tauro Statilio Corvino consulibus, Claudius solita Principibus juravit; veteremque consuetudinem renovavit, ut e praetoribus, tribunis plebis, ceterisque collegiis unus tantum praeiret, non vero singuli jurarent. Mox usum publicarum imaginum, in immane gliscentem, repressum iit.

Digitized by Google

XIII. Ab ipsis Urbis initiis, majores, gnari quantum virtutum monumenta ad recti incitamentum valerent, viros atque ipsas feminas, laude praecellentes, equestribus & pedestribus statuis consecraverant; honoresque, legendos aevo, basibus inscripserant. Institutum, magnorum exemplorum ferax, pervertit magistratuum superbia. Dignitate tumidi, memoriae perpetuitatem, nulla re gesta partam, vanitate & titulis redimebant: totque erupere ignotorum hominum simulacra, ut, iis silvescentibus, obscura delituisset virtus, ni, M. Aemilio, C. Popilio II consulibus, censores P. Cornelius Scipio, M. Popilius statuas circa forum eorum, qui magistratum gesserant, sustuliissent omnes, praeter eas, quae populi aut senatus sententia statutae essent.

XIV. Extremis reipublicae temporibus, invalescente luxuria, recruduit ignobilis famae vesania. Tandem sub Principibus, cum omnia unius arbitrio, paucorum gratia regerentur, urbsque una totius imperii fortunas complecteretur, nullus fuit statuarum imaginumve finis: eas quisque vaniissimus & malarum artium strenuus non modo in aedibus & atriis, sed in templis, in foris, oculatissimis

Digitized by Google

in locis, nullo pudore, audacia maxima, ſibi collocavere. Cum vix maneret virtuti locus, edixit Princeps, "ut immenſa illa ſtatuarum & imaginum vis alium in locum transferretur: nemini poſtea, niſi adprobante ſenatu, ullam ponere liceret". Illis tantum, qui vel vetera monumenta reficerent, vel nova exſtruerent, licitum, "ut in iis ſuas ſuorumque imagines publicarent".

XV. Deinde animadverſum in poteſtatum avaritiam; vetus malum, & legibus validius. Quidam provinciae rector, ob accepta munera infamis, in exſilium ablegatus; & quaecumque in praefectura paraverat, ſub haſta vendita. Ne ceteris ob continuas dignitates gliſceret licentia, populiſve iniqua judicia vimque conquerendi facultas adimeretur, cavit Princeps, ne provinciarum praefectura defunctos ad alios honores ſtatim promoveret: obſoletis quoque legibus auctoritatem addidit, "ut injuriae ab rectoribus inlatae ad ſenatum deferrentur: nec iis liceret peregrinationum diuturnitate aliiſve artibus accuſationes legumque ſeveritatem ſubterfugere". Ne adſeſſoribus quidem, licet ad biennium munus aliquando prorogaverit, vel ipſe deſtinaverit, confeſtim provinciam ſortiri

Digitized by Google

permiſit. Mox ipſos extra Italiam commeatus, a ſenatu peti ſolitos, beneficii ſui fecit; dominationis tanto intemperantior, quanto minor.

XVI. At novarum uſque legum multitudine imminuta, uti adſolet, reverentia, inritata audacia: ipſaque ſupplicia, amiſſa ob aſſiduitatem turpitudine, in peccandi libidinem vertere. Nec levia tantum vitia, ſed portentoſa percrebuere ſcelera; & hactenus ferme inaudita parricidialis impietas adeo invaluit, ut plures parricidas intra quinquennium Claudius culleo inſuerit, quam omnibus ſaeculis inſutos traditum. Monſtratis criminibus, viros inter & mulieres de contumacia certatum: vicit muliebris ſexus, quanto debilior, tanto, ſi natura inſitam humanitatem exuit, flagitioſior. Et cum, ſub hoc principatu, venenarii & malefici primum fuiſſent comprehenſi, homines XLV, mulieres LXXXV ſuppliciis adfecti ſunt. Inluſtri exemplo legibus plus nocerī poſſe, quam proſici, niſi ſumma imperandi & prohibendi prudentia adtemperentur: animadverſionum aſſiduitate facilitatem peccandi, dempto pudore, intendi: populorum innocentiam, vel virtutis fama, vel parcitate ſimul & infamia poenarum, parari.

Digitized by Google

XVII. Aliud autem novi moris edictum prodiit, turbarum metu potius, quam literarum ſtudio. Princeps enim, veritus ne diem ſuum natalem ob futuram eclipſim inauſpicatum haberet populus, denuntiavit "Kalendis Auguſtis ſolem ex quadrante defecturum; idque non ira deum, ſed ſtatis naturae legibus contingere: ſolem interventu lunae occultari: pariter lunam hebetari in ſuis deliquiis terrae objectu: propter multivagos lunae flexus, hos quidem utriuſque ſideris defectus non eſſe menſtruos, certos tamen ducentis viginti tribus menſibus in ſuos orbes redire. Has naturae leges, Graecis jamdudum deprehenſas, apud Romanos Sulpicii Galli ſcientia nobilitatas, eo edicto publicari, ut in hac imperii literarumque luce quiſque, metu ſolutus, vera de natura ſentiat, nec monſtra expaveſcat". Tali quidem edicto inclaruit ſideralis ſcientia: at in vulgi animis ſemper inſedit ſuperſtitio; & pavores Principis ſcrutantibus oblata ſermonum jocorumque materia.

XVIII. Amoliendis rebus novis meliores fuere ludi, quos Claudius voverat Britannico bello, nunc editi. Laetitiam auxit Principis largitio; datique viritim plebi, quae

Digitized by Google

ex publico frumentum accipiebat, treceni nummi; nonnullis plures: quibusdam etiam collata singula nummorum millia & ducenti quinquageni. Partem generi distribuere, ne per plures dies a jure dicundo abstineret: hac in re numquam intentior, quam dum uxor, dum liberti omnia luxu, libidine, scelere miscebant. Sub anni finem diem Saturnalibus a Caio additum, postea omissum, restituit.

XIX. Nihil memorabile in provinciis gestum. Cuspio Fado, Judaeae procuratori, successor datus est Tiberius Alexander, patre Judaeo, Alexandriae Alabarcha, genitus; Romanarum rerum tanto studiosior, quod a patriis sacris defecerat. Haud minore Judaicae gentis gloria, quam utilitate, defectionem illam pensaverant Izates, Adiabenorum rex, & ejus mater Helena, Judaeorum religionem professi. Genti enim gravi fame conflictatae subvenerunt; Izates pecunia, Helena frumento ex Aegypto comportato, & inter egenos didito.

XX. Tum Izates, Romanorum & Parthorum imperiis interjectus, inclarescebat. Sed paullo altius res repetenda. Is Monobazo, patri suo defuncto, successerat, non ut natu major, sed ut melior. Nec interfectis

Digitized by Google

fratribus, ut mos eſt barbaris, regni tranquillitati, ſuae ſecuritati conſuluit; ſed fratres ſuos cum ipſorum liberis partim Romam ad Claudium, partim ad Artabanum, Parthorum regem, miſit. Dominationis aemulos hac arte fecit pacis obſides.

XXI. Mox adcrevit fama, cum Izates Artabanum, e regno profugum, tanta humanitate excepit, ut alieno in regno Princeps magis, quam exſul haberetur. At cum aliena regibus ſemper ſint iniqua, maxima dexteritate ſategit, ut Parthi Artabanum reciperent, "praeteritarum injuriarum oblivionem, ſeque pacis ſponſorem" promittens. Adnuere; & Cinnamus, imperandi capax magis, quam avidus, ſolio ceſſit, obſequio, quam imperio inluſtrior.

XXII. Artabanus, in Izatem haud ingratus, maximis honoribus eum extulit; voluitque, "ut tiara recta uteretur, lectoque aureo dormiret"; quae propria ſunt Parthicae majeſtatis decora: ejus quoque regno adjecit peramplam ac fertiliſſimam Niſibis regionem, ditioni regis Armeniae ademptam. Ita cum dedecore penes Romanos opes ac libido; penes barbaros imperii vis & gloria.

Digitized by Google

XXIII. Verum ut Principis Urbisque ſtudia ſint perſpectiora, haud pigebit referre viſum hoc anno Antiochiae ad Maeandrum hermaphroditum; & Romam perductum. Portentum illud ibi curioſe exceptum eſt. At ne quid dirum ingrueret, Claudius, ut legum, ita caerimoniarum immodicus, in Capitolio Jovi averrunco aram poſuit. Urbis vero major libido, quam ſuperſtitio; quodque olim in oſtentis fuerat, tum habuit in deliciis, novo flagitiorum genere ſuperba.

XXIV. Iiſdem circiter temporibus, nec illaudabili invento, ni mores fuiſſent ad luxuriam proniores, ſcarus, piſcis nepotum principibus laudatiſſimus, e mari Carpathio in Italiam advectus. Quinquennio fere cura adhibita, Optatus Elipertius, praefectus claſſis, inter Oſtienſem & Campaniae oram ſparſos ita diſſeminavit, ut frequentes hoc in litore invenirentur: ficque ſatis piſcibus datus mari novus incola, aucta novis ſaporibus gula.

XXV. At ne victa videretur natura, paullo poſt quidam Peruſinus, eques Romanus, quaeſtorius ſcriba, mentagram, luem majoribus patribuſque incognitam, ex Aſia importavit. Malum, tamquam feminas ple-

Digitized by Google

hemque negligeret, in proceribus, ad omne luxus ingenium praecipuis, veloci tranſitu oſculi ita graſſabatur, ut occuparet in multis totos vultus, oculis tantum immunibus, deſcenderet in colla pectuſque & manus, foedo cutis furfure: foediore adhuc eorum, qui cauſticam Aegyptiorum medicinam pati tolerraverant, cicatrice, quam morbo. Et certe id toto aevo obſervatione dignum, quod quantum opibus & deliciis, tantum vitiis & morbis crevimus.

AN. V. C. DCCXCIX. AER. CHR. 46.

XXVI. Valerius Aſiaticus II, M. Junius Silanus conſulatum iniere, dignitate pares, gratia & opibus diſpares. Silanus ſtato tempore magiſtratum poſuit. Aſiaticus vero, licet in totum annum deſignatus, ſe abdicavit. Id quidem praeſtiterant & alii: at hi modicis fortunis, & Circenſium ludorum ſumptibus, qui immoderate excreverant, impares. Ille motam Principis gratia, altero conſulatu, immenſis divitiis invidiam verebatur: male conſultus, qui, ubi ſumma gratia, magnae opes, adrepens invidia, ſuſpectam & intutam eſſe modeſtiam, decoros vero & tutos honores maximos, modo non immodicos, haud intelligeret,

XXVII.

Digitized by Google

XXVII. Meſſalina, ob luxus monimenta, quae invidebat, Aſiatico infenſa, quid adverſus eum valeret, M. Vinicii ruina praetentavit. Bis conſul, patre conſulari ortus, Caeſarum adfinitate inluſtris, Vinicius ipſi tanto erat ſuſpectior, quod ab ea laeſus, interfecta uxore ejus Julia. Metum furoremque addiderat pudicitia incaſſum tentata. Obſcurum tamen ſcelus quaeſivit; virumque inviſum ſimul & dilectum, melioribuſque temporibus dignum, veneno ſuſtulit. Funere publico & laudatione celebres fuere exſequiae; quod multis datum ea aetate, quae humanitatis expers ejus ſpeciem ambitioſius oſtentabat.

XXVIII. Tum Aſinius Gallus, claris natalibus, facie ignobili, deformiore ingenio, inferere ſeſe fortunae voluit. Princeps, uti rebatur, ab omnibus ſalutandus, ſi imperandi voluntatem oſtenderet, coepit ob generis claritudinem palam dominationem adfectare. Nec opes, nec arma aderant: complures tantum Caeſaris libertos atque ſervos corruperat. Infanum regulum non morte, qua inclaruiſſet facinus, ſed exſilio, quo derideretur, multavit Claudius; hoc uno judicio, quam latis tot legibus, majorem laudem adſecutus.

Digitized by Google

XXIX. Haud minore fama, ſcelus libertorum, qui adverſus patronos libertate abuterentur, & ferociam dominorum, ſi per nefas ſaevirent, corripuit. Motus enim audacia cujuſdam liberti, quod patronum apud tribunos plebis detuliſſet, & in eum petiſſet accepiſſetque apparitorem, non modo illum ceteroſque cauſae innexos punivit; ſed & ingratos libertos, de quibus patroni quererentur, revocavit in ſervitutem; advocatiſque eorum negavit, "ſe adverſus libertos ipſorum jus dicturum". Dominos pariter exoſus, qui aegra adfectaque mancipiá in inſulam Aeſculapii, taedio medendi, exponerent, ſanxit "omnes, qui exponerentur, liberos fore, nec redituros in ditionem domini, ſi convaluiſſent: quod ſi quis necare quem mallet, quam exponere, eum caedis crimine teneri".

XXX. Verum ab aequo ad temeraria cito degreſſus, & aegre ferens abſentia litigatorum, qui ne cauſa caderent verebantur, judicia vel retardari vel impediri, pronuntiavit "ſe abſentibus aeque ac praeſentibus cauſam dicturum". Deinde nullo delectu culpane quis, an aliqua neceſſitate ceſſaſſet, ſententiam tulit. Cum tamen vulgus utili-

Digitized by Google

tate publica minus, quam voluptate moveatur, haec judiciorum temeritas haud ita fuit ingrata. At eviluit uxorius Princeps, quod Sabinum, Caio imperitante, Galliae praefectum, tum morti in gladiatorio certamine destinatum, Messalina ob adulteriorum societatem servasset. Femina, atrox libidinum, quas praeter Claudium cuncti noscerent, majorem adhuc invidiam concitavit, cum Mnesterem, his temporibus histrionica laude summum, stupris ita inligasset, ut nec eum in scenam prodire sineret, nec ipse vellet, juraretque Claudius, illum secum non esse, & per se non stare, quo minus vellet. Quid mirer magis, Messalinae licentiam, audaciamne Mnesteris, an populi Romani questus, an contumelias Principis, haud dixerim.

XXXI. In tanta principatus indiligentia, evenere tamen, quae magnos Principes haud dedecuissent. Regnata hactenus Thracia in provinciam redacta. Percelebris quoque fuit legatio e Taprobane missa. Alterum orbem terrarum esse, diu existimatum, *Antichthonum* appellatione: insulam esse, Alexandri Magni victoriis innotuit. Plura & certiora docuere legati, Romam advecti. Quod qua fortuna contigerit, Plinium, hi-

Digitized by Google

ſtoriae naturalis florentiſſimum ſcriptorem, ſecutus expediam.

XXXII. Annii Plocami, qui maris rubri vectigal a fiſco redemerat, libertus circa Arabiam navigans, raptuſque Aquilonibus praeter Carmaniam, XV die Hippuros portum invectus eſt: hoſpitali regis clementia ſex menſium tempore imbutus adloquio, percunctanti poſtea narravit Romanos & Caeſarem. Mirum in modum in auditis juſtitiam ille ſuſpexit, quod pares pondere denarii eſſent in captiva pecunia, cum diverſae imagines indicarent a pluribus factos; & hoc maxime ſollicitatus ad amicitiam, legatos quatuor miſit, principe eorum Rachia.

XXXIII. Noſtrum caelum, ſuas umbras, mirati, ipſi in Urbe, peregrinitatis avida, admirationi fuere. Ex iis cognitum "ſua in inſula quingenta eſſe oppida: Palaeſimundum omnium ibi clariſſimum, ac regiam cc mill. plebis: ſervum nemini: non in diem aut interdiu ſomnum: agros diligenter coli: vitis uſum non eſſe, pomis abundare: eſſe in piſcatu voluptatem, teſtudinum maxime, quarum ſuperficie familias habitantium contegerent: aedificia modice ab humo exſtare: annonam numquam augeri: non fora liteſve

Digitized by Google

esse: coli Herculem: festa venatione absumi; gratissimam eam tigribus elephantisque constare. Regem eligi a populo senecta clementiaque, liberos non habentem; & si postea gignat, abdicari, ne fiat hereditarium regnum: rectores ei a populo XXX dari: nec nisi plurium sententia quemquam capitis damnari; sic quoque appellationem esse ad populum; LXX judices dari; si liberent reum, amplius triginta, iis nullam esse dignationem, gravissimo probro. Regi cultum Liberi patris, ceteris Arabum: regem, si quid delinquat, morte multari, nullo interimente, aversantibus cunctis, & commercia etiam sermonis negantibus".

XXXIV. Haec ob novitatem audientibus grata. Libentius vero, licet haud sine invidia, auditum, "ibi vitam hominum centum annis modicam: insulam auri margaritarumque grandiorum fertiliorem, quam Indiam". Paullulum invidiam imminuit vitiorum societas, & Romanae luxuriae commendatio. Fatebantur enim legati "sibi aurum & argentum in pretio: marmor testudinis simile, gemmas margaritasque in honore multo praestantiores haberi: ipsorum opes majores esse, sed apud Romanos opulentiae majorem usum".

Digitized by Google

XXXV. Talia in insula, extra orbem a natura relegata, multi eo magis mirabantur, quod de Seribus prorsus diversa prius audita, certioribus nuntiis tum firmata. Memorabat enim Rachia, "ultra montes Emodos Seras, lanicio silvarum nobiles, ab ipsis aspici; advenis sibi occursare; notos etiam commercio: patrem suum eo commeasse: illos excedere hominum magnitudinem, rutilis comis, caeruleis oculis, oris sono truci, nullo commercio linguae: feris quidem persimiles, coetum reliquorum mortalium fugere: *mites* tamen, justos, commercia ita peragere, ut fluminis ulteriore ripa merces positas juxta venalia tollant, si placeat permutatio". Tales virtutes in talibus hominibus aliquis forte mirabitur; miretur magis, tot periculis, impensis maximis, & lenta quidem, sed certa & irreparabili imperii ruina, matronalis libidinis velamenta simul & inritamenta inde arcessi.

Digitized by Google

SVPPLEMENTVM
LIBRI UNDECIMI
ANNALIVM

BREVIARIVM

I. Portentosa anni initia. Claudius Censor. II. Polybii, liberti, adrogantia & poena. III. Aulo Plautio, Britannorum victori, decreta ovatio. Vespasiani virtus & praemia. IV. Revocatur majestatis crimen. V. Messalina, Vitellii societate audax, in civium fortunas grassatur. Everso Pompeio Magno, Poppaeam & Valerium Asiaticum circumvenit. *Cetera habet Tacitus Annalium libro XI, 1 & seqq.*

Gesta haec,

A.V.C.	Aer. Chr.	
DCCC.	47. *Coss.*	TI. CLAVDIO Caesare IV, L. VITELLIO III.

AN. V. C. DCCC. AER. CHR. 47.

PORTENTOSIS initiis inclaruit saecularis annus, quo Claudius Caesar IV, sed suffectus tantum, novo circa Principem exemplo, L. Vitellius III, consulatum iniere. Ipsis Kalendis Januariis, nocte, qua defecit luna, Theram inter & Therasiam in Aegaeo mari enata insula. Fabulas addidere, qui phoenicem in Urbem adlatum, videndum in Comitio proposuerunt. Mendacium, licet omni-

Digitized by Google

bus compertum, a plebe tamen ſpectatum eſt avide. atque etiam actis teſtatum. Princeps, alias in curas intentus, cenſorium nomen, poſt Paullum Plancumque cenſores neglectum, cum conſulari adſumpſit, ut reipublicae, labentibus ſaeculis ſimulque gliſcentibus vitiis fatiſcenti, ſubveniret. Quidam ſenatorum, luxu ad inopiam contemptumque delapſi, ordine moti ſunt. At equites, numero & opibus tuti, Principis ſeveritatem effugere. Cetera cenſurae multitudine legum corrupta.

II. Pudebat quoque Principis, inepte feduli, qui rempublicam legibus fatigabat, dum ipſius domus majoribus vitiis urgebatur; praevalida in dies libertorum adrogantia. Patientiam, metu magis, quam reverentia diu exercitam, vicit rei indignitas. Forte cum in theatro pantomimus illud vatis dictum: "Res non ferenda opibus potens maſtigia", protuliſſet, omnium ora ſtatim in Polybium converſa, qui majore audacia ejuſdem poetae verſum vociferatus eſt, "reges quoque exſtitiſſe de caprariis". Adverſus talem hominis impudentiam immotus fuit Princeps. Sed vota civium abſolvit Meſſalina: non tamen recti ſtudio; ſed ſemper infida ſcelerum ſo-

Digitized by Google

cietate accensa, Polybium, suis adulteriis inligatum, corripuit & interfecit: laudandum quidem, ob literarum studia & ingenii facilitatem, ni ingenuas artes probrosa fortuna dehonestasset.

III. Verum, ne continuis Messalinae foeditatibus avocetur legentium animus, laetiora de Britannis narrandum. Aulus Plautius, quem supra memoravi, rem Romanam lentis, sed certis, promoverat incrementis. Barbari frustra impetus fecere, peregrinae dominationis odio & locorum peritia ad fiduciam elati: semper restitit ducis providentia, & Vespasiani virtus interrita. Adversis casibus fracti, nihil jam audebant; & Plautius pacis artibus dominationem ultra intendit. Cum bella ita starent, missus est propraetor Osterius Scapula, qui feliciter coepta continuaret. Plautio decreta ovatio; Urbemque ingressо obviam progressus est Princeps, & in Capitolium eunti, indeque revertenti latus texit: forte ultra Imperatoriam majestatem, at non supra Plautii merita civilis. Vespasiano, ob domitas validissimas duas gentes, Vectemque insulam in deditionem redactam, data triumphalia ornamenta.

IV. Haec inter recruduit, vetus Urbi

Digitized by Google

malum, majeſtatis crimen, tuendi Principi ſpecie, ſed praedandi cauſa repetitum. Ac cuſati plurimi. Ignobiles tutata eſt humilitas, dictitante Principe: "De pulice, ut de fera, non eſſe vindicandum". In hoc ſtetit clementia. Saevitum in nobiles potenteſque, quod ſoli ad praedam ſufficerent. Atque ita pereuntibus deerat etiam commune ſub prioribus Principatibus ſolatium, cum, vel morituri, de Claudii crudelitate queri non poſſent, uxoriam ejus imbecillitatem miſerarentur.

V. Una enim tot tantarumque caedium cauſa erat Meſſalina. Femina, libidinum adſuetudine, & Vitellii, ſcelerum ſatellitis, ſocietate audax, in civium fortunas vitaſque impune graſſabatur. Loco criminum erant muliebria odia. Sic in Pompeii Magni, quem nobilitas & cum Caeſaris domo adfinitas in invidiam adduxerant, perniciem ruit. Mox Poppaeam & Valerium Aſiaticum, illam, ob praecellentem formae pulchritudinem, hunc, propter ingentes opes ipſoſque Poppaeae amores odioſum, circumvenit. *Nam Valerium Aſiaticum, bis conſulem* &c.

Digitized by Google

SVPPLEMENTVM
LIBRI SEXTIDECIMI
ANNALIVM

BREVIARIVM

Initia hujus libri habet Tacitus. XXXV. Thraſeae, Soranī & Serviliae ſuprema. Paconii & Helvidii exſilia. XXXVII. Tiridatis in Urbem adventus. Datum ei regnum Armeniae, magno Principis dedecore. XLVII. Neglecta Judaea, bellum adverſus Aethiopes Albanoſque parat Nero. Interim Achaiam petit, cantaturus. XLIX. Helii, liberti, in Urbe arrogantia & ſaevitia. L. Graeciae urbes ſcenicis artibus Principis foedatae. LII. Nova libidinum portenta. Nero uxorem ducit Sporum. LIV. Exhauſtae Imperii opes populorum ruina reparantur. LV. Eadem in Urbe atrocitas. LVI. Perfodiendi Iſthmi Corinthiaci tentamina. Miſſi ad id opus a Veſpaſiano Judaei captivi. LVIII. Judaici belli initia. LXII. Nero turbarum nuntiis in Urbem revocatur, data prius Achaiae libertate. LXIV. Triumphans Urbem ingreditur. Foeda ſcenici triumphi ſpecies. LXV. Conjuratio retecta, & expiata. LXVI. Atrocia adverſus Principem C. Julii Vindicis conſilia: ſuas in partes Sulpicium Galbam trahit. LXXII. Nuntiata Galliarum defectione, vana belli meditamenta. LXXVII. Conflata undique in Neronem odia. Patriae tamen ſtudio, Julii Vindicis coepta opprimit Verginius Rufus. LXXX. Hac clade conſternatus Galba. LXXXI. At conſilia Principis, vere falſove

Digitized by Google

a ſpadone prodita, ineluctabilem creant ruinam. Senatus, imminere ſibi periculum ratus, Neronem praevertere occupat. LXXXII. Nero, vitae mortiſque incertus, fugit. LXXXV. A ſenatu hoſtis, more majorum puniendus, judicatur. LXXXVII. Pavens, mortem ſibi conſciſcit: ultima ac peſſima Caeſarum ſtirps. LXXXIX. Prodigia. Praeceps, ſed mutabilis, populi laetitia. Nymphidius, Galbae favet, Imperii ſpes in ſe trahens: mox interficitur. XCI. In Neronianae crudelitatis inſtrumenta ſaevitum. XCII. Galba, audito Neronis fine, audacior, Romam proficiſcitur. Intempeſtiva ſeveritate, Principatus initia corrumpit.

Haec geſta annis tribus.

An. V. C.	Aer. Chr.		
DCCCXIX.	66.	*Coſſ.*	C. SVETONIO Paullino, C. LVCIO Teleſino.
DCCCXX.	67.	*Coſſ.*	L. FONTEIO Capitone, C. JVLIO Rufo.
DCCCXXI.	68.	*Coſſ.*	C. SILIO Italico, M. GALERIO Trachalo.

Digitized by Google

AN. V. C. DCCCXIX. AER. CHR. 66.

THRASEA, progreſſus in porticum, illic a quaeſtore reperitur, laetitiae propior, quia Helvidium, generum ſuum, Italia tantum arceri cognoverat. Helvidium & Demetrium in cubiculum inducit: porrectiſque utriuſque brachii venis, poſtquam cruorem effudit, humum ſuper ſpargens: "Libemus", inquit, "Jovi liberatori. Specta, juvenis, & omen quidem dii prohibeant; ceterum in ea tempora natus es, quibus firmare animum expediat conſtantibus exemplis". Poſt lentitudine exitus graves cruciatus adferente, obverſis in Demetrium oculis, ejuſque aſpectu & verbis animatus, amicis oſcula offerens, diu eluctatum ſpiritum reddidit: vita egregius, mortis contemptor, & adverſum praeſentia mala adeo firmus, ut dicere eſſet ſolitus, "malle ſe hodie interfici, quam cras relegari".

XXXVI. Fato, ut virtute, pares interiere Soranus & Servilia. Exſilii poenam animi excelſitate nobilitavit Paconius. Monitus enim cauſam ſuam agi in ſenatu: "Be-

Digitized by Google

ne vertat", inquit; "at quinta est hora, frigida lavemus". Post cum se damnatum audisset, "morte, an exsilio"? interrogat Nuntiato exsilio, "quid de bonis"? ait "Servata", responsum. "Ariciam ergo petamus, pransuri", addit ingens animi, & usura vitae perinde, ac ceteri oppetita morte, inlustris. Laudata quoque Demetrii libertas, cui cum Princeps mortem intentaret: "Quam mihi tu", inquit, "hanc tibi natura minitatur". Audacia, an seminudi philosophi ignobilitas, certe non justitia, non recti, amor ei salutem adtulit. Helvidius autem, interdicta sibi Italia, Apolloniam concessit: soceri postea ultor & aemulus.

XXXVII. Tanta Principis senatusque dedecora velavit imperio gravis, sed populo laeta Tiridatis scena. Nondum visa tanta hospitum majestas. Longo enim superstitioso que, sed triumphali pompa superbo, itinere defuncti, aderant Tiridates, ejusque uxor, Vologesique & Pacori ac Monobazi filii: Primo in congressu Tiridates, constantiam factis melius, quam verbis probari ratus, Neronem quidem, posito genu, salutavit, ferrum verò tradere renuit; "id servile, & Arsacidarum fastigio indignum" dictitans. Nihil

Digitized by Google

hactenus indecorum. At ſtatim omnia in ludicrum verſa.

XXXVIII. Nero barbari libertatem mirari magis, quam aemulari, gnarus, hoſpites Neapoli Puteolos duxerat, gladiatoriiſque ludis monſtrata imperii magnificentia. Hos edidit Patrobius, libertus, tantoque ſumptu, ut toto die ſoli Aethiopes, virile ac muliebre ſecus, amphitheatrum ſint ingreſſi. Tiridates, ut ludos honeſtaret, ſimulque dexteritatem oſtentaret, e ſede ſua ejaculatus, duos tauros, ut fertur, uno ictu tranſverberavit.

XXXIX. Major fuit pompa, at ſemper theatralis, cum Romam ventum eſt, dieſque adfuit, propter nubilum aliquamdiu dilata, qua Tiridates, Armeniae regnum petiturus, populo Romano oſtenderetur. Pridie Urbs tota, ſertis nitida, luminibus collucere: via ingens hominum viarum ſtrata complere: alii plurimi domorum tecta occupare: populus alba veſte, & laureatus, medium obtinere forum: cetera tenere milites, comptis ſignis armiſque praefulgentibus conſpicui. Prima luce Nero, triumphantis habitu, forum iniit, comitantibus ſenatoribus & praetoriis cohortibus. Poſtquam apud roſtra tribunal conſcendit, curulique in ſella inter ſigna milita-

Digitized by Google

ria atque vexilla reſedit, Tiridates, regumque filii, ac longum famulitium, per militum ordines ad tribunal progreſſi, Principem venerati ſunt.

XL. Clamor populi, ob rei novitatem veteriſque fortunae imaginem geſtientis, ſtatim ſequutus, metum Tiridati incuſſit. Periculi anceps, obriguit: nec, indicto ſilentio, rediit prior conſtantia. Forte etiam Tiridates, adulationem, quae pericula averteret, regnum adſereret, haud veritus, "ſe Arſacidarum ſanguine ortum" profeſſus eſt, "Vologeſi & Pacori regum fratrem, ſervum Neronis, quem ut deum aeque, ac Mithram, venerabatur: ſibi nulla, niſi per eum, regni jura: eum ſibi fatum, ſibi fortunam eſſe".

XLI. Quanto demiſſius haec fuerant dicta, tanto ferocius reſpondit Nero: "Huc quidem merito veniſti, ut praeſens praeſente me fruerere. Jura, nec a patre relicta, nec a fratribus, licet dediſſent, ſervata, a me accepta habeto. Te regem Armeniae do. Tu, voſque omnes, me regna dare & adimere intelligite". Mox Tiridaten, per devexum pulpitum ſubeuntem, ad genua admiſit; allevatumque dextra exoſculatus eſt. Dein regnum precantem, tiara deducta, diade-

Digitized by Google

mate evinxit: plaudente multitudine, & verba ſupplicis, praetorio viro interpretata, ingeminante.

XLII. Inde ad Pompeii theatrum diſceſſum eſt. Numquam tanta adparuit auri vilitas. Non modo ſcena, ſed interior theatri ambitus auro opertus: illud inumbrabant vela purpurea, quorum media in parte Nero, currus agitator, acu pictus videbatur, aureis ſtellis circumdatus. Ante conſeſſum, rurſus a Tiridate ſupplicatum eſt: deinde juxta Principem latere dextro collocatus, ſpectavit ludos, in quibus nihil uſurpatum, niſi auro fulgidum. Aurea oculorum delinimenta pretioſius convivium excepit. Poſt rediere ludi, ſed dedecore Imperatorio foedi. Principem enim haud puduit, cithara ludicrum in modum canere, currumque, praſina veſte aurigarumque habitu, agitare.

XLIII. Inter haec opprobria, indecoro populi plauſu aucta, Tiridates, Corbulonis virtutem reputans, nec indignationis potens, ſcenico Principi "Corbulonem bonum mancipium" gratulatus eſt. Neronis mentem, inſana laetitia vagam, non advertit barbari audacia. Immo publica de infamia certantibus Principis & populi ſtudiis, quaſi per

Digitized by Google

haec deridicula confecto bello Armeniaco, Nero *Imperator* conſalutatur; laureaque in Capitolium lata, Janum cluſit: hac victoriae imagine, quam ludicro certamine, foedior.

XLIV. Regni autem certus, Urbis Principiſque inclinatione ſuam ad utilitatem uſus eſt Tiridates. Jam pridem Roma, fortunae ſuae pon capax, ad portentoſa ſe converterat: iis abundabat Tiridatis aula, utpote qui, Orientis more, reconditioribus mathematicae doctrinae artibus gloriabatur. Scientiae fidem faciebat numeroſa magorum cohors, regios inter comites praecipua. Quirites de ſe, de ſuperis inferiſque ſciendi cupidine ſtatim accenſi. Sed apud Neronem praepotuere arcana, ſemper malis Principibus ob futuri formidinem, prodigis propter opum ſpem grata. Jam didiciſſe ardet. Diſcipulo ſuperbus Tiridates, magiſterium orditur. Tum viſus imperii Romani arbiter Chaldaicis vanitatibus famulari, initiari cenis magicis, veneficis artibus, quae in magicis praepollent, imbui: magna quidem Urbis infamia, majore tamen documento, inanem & inteſtabilem eſſe artem, quam neque docere poſſet, qui regnum acciperet, neque valeret ediſcere, qui orbi imperaret.

Digitized by Google

XLV. At licet eluſae ſpes, haud immi-nuta liberalitas, largiore ſemper Principum munificentia, cum falluntur magis. Igitur, quamvis octingenta nummum millia diurna Tiridati fuiſſent erogata, abeunti ſuper ſeſtertium millies collatum eſt. Permiſſum adhuc, ut Artaxata, ante, ut ſupra memoratum, deleta, inſtauraret. Dati quoque artifices, quibus complures, mercede conductos, adjunxit. Sic graviore impendio datus Armeniae rex, quam olim confecta bella maxima.

XLVI. Iis auctus muneribus, nec patriae ſuperſtitionis ſollicitus, Tiridates Brundiſio ſolvit, Dyrrhacium petiturus. Inde Aſiae urbes inviſit, imperii opes, vanaſque Principis curas paſſim miratus. Nondum Armeniam erat ingreſſus, cum Corbulo, obviam progreſſus, datos quidem artifices regem ſequi permiſit; ſed coacti pecunia juſſi Romam reverti. Quod Romanae dignitatis tuendae ſtudium ducis famam intendit, Principis minuit. Beneficiorum tamen haud immemor Tiridates Artaxata, quibus nomen fecit *Neroneia*, reſtituit.

XLVII. Interea apud Judaeos, gentem ſibi diſcordem, dirum exarſerat bellum,

Digitized by Google

Geſſii Flori procuratoris avaritia, Ceſtii Galli, Syriae legati, tarditate cum magna Romanorum clade, capta una aquila, coeptum, felicibus Veſpaſiani auſpiciis reparatum, ac tandem inviſae gentis excidio abſolutum, uti fuſius alias ſumus dicturi. At id curae tum ſpernebat Nero, famae quidem appetens, ſed quae per immodica pararetur. Neglecto itaque praeſenti diſcrimine, ingentia agitabat conſilia, quibus Aethiopes Albanoſque imperio Romano adderet.

XLVIII. Dum mittuntur exploratores, ceteraque magno adparatu diſponuntur, forte venere e Graecis civitatibus, muſicos agones edere ſolitis, legati, qui omnes citharoedorum coronas ad ipſum perferrent. Mirum ut placuit novum adſentationis genus. Legati ſtatim admiſſi, familiaribus inſerti epulis: adulationis periti, Principem, ut "ſuper cenam cantet", rogant. Vix audiere, in laudes effuſi, inſitam vanitatem ita inflavere, ut "ſolos ſcire audire Graecos, ſolos ſe, ſolos ſtudiis ſuis dignos" jactitet: "ſe eo profecturum, ut Romam totumque terrarum orbem coronet". Nihil veteris ſollicitudinis ſupereſt. In theatricam expeditionem praeceps, Achaiam petit: ad ſcenam, ut ad bellum

Digitized by Google

lum profectus. Tigellino enim duce, comes ibat Auguſtanorum & ſcortorum turba, citharis, plectris, perſonis, libidinum ornamentis, aut incitamentis, gravis. Ut primum Caſſiopen trajectum, ſtatim ad aram Jovis Caſſii cantus coepere. Sic Graecia, tot ante annos Flaminii, Mummii, Agrippae & Auguſti victoriis ac legibus fracta, vitiorum dulcedine tandem vicit: ipſeque Princeps de ſe triumphum adtulit.

AN. V. C. DCCCXX. AER. CHR. 67.

XLIX. L. Fonteio Capitone, C. Julio Rufo conſulibus, res Romana, abſente Principe, permiſſa Helio, liberto, ſub priore Principatu ſcelerum miniſtro, nunc eo nequiori, quod ad veterem uſum major accedebat auctoritas. Sueta ignobilibus hominibus vitia, ſuperbia, audacia, avaritia, ſaevitia confeſtim erumpere. Injuriis, minis, exſiliis, mortibus adverſus omne genus hominum ipſumque ſenatorium ordinem graſſatur. Facilitate criminum gliſcit temeritas; idque malorum ſummum civitas experta, ut cum praeſentem horruiſſet Principem, abſentem deſideraret.

Digitized by Google

L. At, gloriae amens, hoc unum fatagebat, ut diverſiſſimorum temporum, ſed in hunc annum coactas omnes Graecorum palmas unus acciperet. Itaque per ſingulas urbes, ludorum fama nobiles, promiſſo crine, reſecta barba, ire, canere, aurigare, certare, tragoedias agere, & pro ſcenarum ratione, nunc furere, nunc parturire, nunc exeoecari, modo religari: id tantum cavere, ne ferro violarentur Imperatoriae manus, quaſi aureis compedibus minus ſordeſcerent: totos vero dies in haec ludicra ita ſollicite impendere, ut abeſſe, taedere, otioſe ſpectare, diſcedere nefas foret, poena expiandum.

LI. Ob id reus Veſpaſianus, quodque, canente Principe, diſcederet ſaepius, aut praeſens obdormiſceret, non contubernio tantum, ſed publica etiam ſalutatione fuit prohibitus. Jamque extrema metuens, in devium oppidulum ſeceſſerat, intuta adhuc latebra, ni mox, fatis eum ad ſumma vocantibus, rebus in Judaea adflictis fugatoque Ceſtii Galli exercitui ſuppetias ferre juſſus eſſet. Mira ſane fortunae natura, quae, per res adverſas Romanaeque majeſtatis ludibria, imperio ultorem, Principemque, priſcae dignitatis & ſeveritatis vindicem, deſtinabat.

Digitized by Google

LII. Interim Nero, oraculorum vanitate, acriore Principum libidine accenſus, ludorum infamiae ſcelerum portenta addere; novaque excogitare, ne ipſum plebemque, flagitiorum adſuetudine moroſam, varietate mobilem, ſatias caperet. Igitur, jam obſoleſcente Pythagorae conubio, alias ſuperaddit nuptias; & Sporum, a Tigellino cum dote & flammeo deductum, uxorem accipit, plaudentibus Graecis, liberoſque precantibus. Data Sporo, in alteram Sabinam mutato, Calvia Criſpinilla, cui nihil praeter natales inerat nobile, quae muliebrem ejus ornatum curaret. Principi, tot libidinum formis hominum vitia ſupergreſſo, placuit tandem belluina aemulari; &, quod dictu incredibile, ſuperare valuit: immo id etiam adſequi, ut Hiſtoriam, quae quidquid in vitiis inſolens ad odium commendare geſtit, nova ſtuprorum monſtra, quorum ipſum nomen ſcelus foret, ſilere coegerit.

LIII. Non tamen victa tantis flagitiis conſcientia, ſed immanem animum pudore pariter ac terrore laniabat. Hinc licet foret deſtinatum praecipuas Graeciae urbes ea turpitudinum inluvie foedare, Lacedaemone tamen & Athenis abſtinuit; Lycurgum veritus,

Digitized by Google

ſi urbem, tanta legum ſanctitate, virtutum claritate celebratam, intraret. Magis adhuc terruere Furiarum ſacra, Athenis peragi ſolita: formidata quoque Eleuſiniâ, quorum initiatione impii & ſcelerati voce praeconis ſubmovebantur. Forte quis in hoc vitiorum profundo hanc ſuperſtitionis vim mirabitur. At a natura, cujus intereſt ſcelera infamare, ſapienter conſultum eſt, ut improbi raro a ſuperſtitione ſint intacti.

LIV. Reliquae autem urbes, hac fama non defenſae, ad opprobria patuere: ne invitae quidem, quod & ſolita Principum admiratione, & praemiis, ad obſequium laudeſque traherentur. Olympiorum ergo & Pythiorum judicibus in eam ſervitutem corruptis, omnes certatim in venerationem ruere, victoriarum omnium titulos in unum & immeritum caput congerere, undique coronas aureas adferre, &, quem infra homines viderent, deum appellare. Sed improſperae adulationis, ſerius adhuc expiandae, brevi eas paenituit, poſtquam exhauſtas Principis opes ſuis civiumque fortunis reparari ſenſere, eaſque per nobiliſſimorum quorumque caedes peti. Nec luctus, niſi majore adhuc formidine, repreſſus, exſilio damnatorum liberis intentato.

Digitized by Google

LV. Haud melior Urbis conditio, quamvis patres ad ſingulas victorias (nos enim in haec verborum mendacia cogunt tempora) erecti, continuas ſupplicationes haberent, iis etiam tam immodice faſtos onerarent, ut ne annus quidem ſufficeret. Immo ut in ſe impenſarum partem traherent, abſenti Principi annuum centies ſeſtertium decreverant. Helius tamen materiam criminandi adhuc arripuit, quoſdam non ſatis favere, alios invidere cauſatus. Inde equeſter ordo damnatus voti, quo obſtricti Auguſtani ſe Principi ſtatuam mille pondo poſituros ſpoponderant. Quod vero atrocius, Pythici cognomen, a majoribus acceptum, Sulpicio Camerino in perniciem ceſſit, quaſi, hoc retento, in Pythicas Neronis victorias foret impius: tali crimine inretiti pater filiuſque cecidere.

LVI. Gravior adhuc malorum moles incubuit, cum furor inceſſit, Iſthmum Corinthiacum navigabili alveo perfodere. Quod quidem non publica utilitate ſuſceptum, ſed quia naturam vincere, & a Demetrio rege, dictatore Caeſare, Caioque Principe incaſſum tentata exſequi ſplendidum haberetur. Tanta laude jam animo praeoccupata, Nero, dux operis, ligone aureo foſſam adgreditur, "ut

Digitized by Google

sibi populoque Romano bene res verteret" precatus. Undequaque pecunia, materiae, operae conquisitae: fodiendis ac comportandis terris destinati exercitus. Captivi & rei ad dura & saxosa damnati.

LVII. Cum ita ferverent operae, in auxilium simul & in victoriae monimentum venere lectissimorum captivorum sex millia, quos, expugnata Tarichea, mittebat Vespasianus. Rei enim militaris scientia & longo usu in Britannia probatus, vix Judaicum bellum capessivit, cum statim, correcta castrorum disciplina, Romanis armis auctoritatem restituit. Verum nec sibi, nec patriae fieri satis ratus, ni gentem, mentis mobilitate & oraculorum ambagibus turbidam, ita contereret, ut numquam resurgeret audacia, graviorem belli molem intulit. Itaque additis ad copias duabus legionibus, octo alis, cohortibus decem, & majore filio, spectatae virtutis juvene, inter legatos adsumpto, Galilaeae, locorum natura & arte munitissimae, primum incubuit. Omissaque clementia Romana, seu quod Judaeos ea indignos judicaret, seu quod ipsi, ea spreta, in exitium ruerent, seu potius, ut pluribus visum, quod iratum numen gentis excidio exe-

Digitized by Google

randa scelera ultum iret, omnia ferro flammaque vastata. Certe ab Urbe condita nullo in bello tantum hostilis sanguinis fusum est.

LVIII. Nam ut primum percrebuit rumor, Vespasianum adventare, Judaei, praesidium Romanum, Ascaloni impositum, adgredi ausi, gemina clade, quae decem & octo millia hominum absumpsit, ab Antonio adfecti sunt. Mox Vespasianus, ut contumaciam infringeret, captam Gadaram ejusque vicos igne delevit, pubertibus omnibus trucidatis. Deinde Jotapatam, castellum munitissimum, cinxit obsidione; quae quoniam locorum difficultate & obsessorum pertinacia in longum traheretur, ne ceteris hostibus crescerent animi, Trajanum, decumae legionis praefectum, & Cerialem, quintae tribunum, in diversa misit, ut terrorem late facerent. Ille, caesis hominum quindecim millibus, Japha oppido potitus est: hic Samaritanorum undecim millia, in monte, cui nomen Garizim, praecipuae apud eos religionis, congregata, ad unum occidit. Interim Jotapatam admotae machinae acrius quatiebant. Romanorumque animis periculorum diuturnitate ac recenti ducis vulnere exasperatis, tandem Kalend. Juliis, praeeunte Tito, ex-

Digitized by Google

pugnata est: in ea quadraginta hominum millia periisse constitit: magnus quoque fuit captivorum numerus, quos inter Josephus, ingenio & scientia militari non indecorus, adulatione verius, quam augurio, imperium Vespasiano Titoque ominatus, favorem captavit.

LIX. Tum legiones, his laboribus fessae, in hiberna concessere, quinta & duodecima Scythopolim, decima & quintadecima Caesaream. Saevitum tamen in proximam Joppen, piraticis latrociniis infamem. Mox ante hiemem bellum renovatum est. Orabat enim Agrippa, ut Tiberias & Tarichea, urbes regni validissimae, a seditiosis occupatae, ad fidem retraherentur. Regi amico, opem petenti, praesto fuit Vespasianus. Tiberias, imminenti discrimine territa, deditionem properavit. Taricheam seditiosorum duces ad fiduciam erexerant. Sed adversus Titi vim invalida, amissis sex millibus hominum, capta est. Qui in lacum profugere, pariter deleti. Deinde a seditiosis repetita poena, Vespasianus edixit "mille ac ducentos viros, aetate & auctoritate praecipuos, interfici; ceteros fore captivos". Ex iis sex millia, ut diximus, Neroni missa: triginta millia

Digitized by Google

ſub corona venumdata: ceteri Agrippae ceſſere.

LX. Haec Taricheae ruina, & ſtrages Gamalae edita, in qua omnes contrucidati, vel e ſummis moenibus ſponte praecipites enecti, terrorem undequaque circumtulere. Nondum tamen ſeditioſi ad pacis conſilia converſi, ſed, furentum more, adverſis ferociores undequaque concurſare, Hieroſolyma implere; templum, maxima in veneratione quondam habitum, in arcem vertere, caedibus & ſummi pontificis cruore foedare; denique cum nihil ſacri haberent, religionem, ut nefanda quaeque audere liceret, obtendere. Multi "diſcordia propere utendum: Hieroſolyma poſſe opprimi; & unius urbis expugnatione bellum peragi" cenſebant. Contra Veſpaſianus: "Feſtinatione nihil opus eſſe: diſcordes animos ultimo rerum diſcrimine ad concordiam non exſtimulandos: Hieroſolyma advenarum colluvie, commeatuum penuria, mutuis caedibus ipſa ultro ruere: hoſtes numquam certius meliuſque confici, quam cum ferro ipſi ſuo cadunt". Potior habita eſt ejus ſententia. Itaque per provinciam impoſita tantum praeſidia, quae ſeditioſos frenarent, urbem vallarent.

Digitized by Google

LXI. Haec quidem consulto provisa & fortiter gesta apud Neronem Vespasiano impune erant, ob generis nominisque obscuritatem. Suspectae enim Principi, flagitiorum conscientia pavido, virtus, opes, nobilitas. Nec aliis criminibus quaesita mors Corbuloni, Scriboniisque fratribus, Rufo & Proculo. His exitium adtulit Pactius Africanus, "opibus, concordia, gestis honoribus, apud exercitus Germanicos auctoritate, Principi formidandos" dictitans. Ob id, dignitatis specie, in Achaiam acciti: ut venere, Principis congressu prohibiti, neglecti, obscuris circumventi sunt criminum rumoribus. Cum nulla esset defensionis spes, morte opprobrio antehabita, vitam, fuso per venas sanguine, finiere. Corbulonem, gloria circumdatum, Nero ipse corripuit, se imperii incertum ratus, dum viveret: pari fraude usus, sed praesentiam reveritus, Cenchreas adventanti supremam necessitatem nuntiari jubet. Corbulo, "se dignum" fassus, gladium sua in viscera direxit, ab ignavo Principe deceptum se esse, & inermem veniisse indignans.

LXII. Tantis caedibus conflata odia, nodum facta securitas. Jamque labante Urbis fide, Helius, consilii anceps, Neroni

Digitized by Google

nuntiat, "quam primum veniat: praesentia ejus Urbicas res egere". Iis ab insana gloriae cupidine non retractus, rescribit (nec enim omiserim verba, incredibilis stultitiae testes) "Quamvis nunc consilium tuum sit & votum, celeriter reverti me: tamen suadere & optare potius debes, ut Nerone dignus revertar". Helius, gliscente per moras periculo, ipse Achaiam propere petit, ut verbis fidem faciat, "turbas, conjurationes" admonet. Terrorem incutit monstratum discrimen; sed magis movet praesens Isthmiorum ludicrum: mentem quoque sollicitat ingrati animi pudor, si mansura non reliquerit munificentiae monimenta. His anxius, stadium advolat; mox in foro, haud per praeconem, sed sua ipse voce, pro tribunali, "universam Achaiam liberam" pronuntiat; judicibusque civitate Romana & grandi pecunia donatis, indecoros inter plausus, haud quales olim T. Flaminio auditos, navem conscendit, Italiam repetiturus.

AN. V. C. DCCCXXI. AER. CHR. 68.

LXIII. Tum consules erant C. Silius Italicus & M. Galerius Trachalus; alter poetica facultate, alter forensi eloquentia notus;

Digitized by Google

nterque favore Principis, Silius delationibus, inviſus. Nam in Urbe non ſpes, non vota amplius occulta. Plurimi adverſa tempeſtate turbidoque mari imminere Principi periculum palam laetabantur, exitium quoque precari auſi. In luctum vertere gaudia, cum Princeps, procella quidem jactatus, amiſſis naufragio pretioſiſſimis rebus, Neapolim incolumis pervenit. Urbem, olim gloriae incunabula, triumphorum nunc teſtem, reviſere geſtiit. Hanc albis equis, disjecta muri parte, ut mos hieronicarum eſt, ingreſſus, Antium Albanumque pari pompa introiit.

LXIV. Cum Romam perventum eſt, adornata major triumphi moles; &, ut novum victoriarum genus, nova quoque excogitata decora. Nec Jovi, imperii praeſidi, ſed Apollini, citharoedorum numini, ſupplicatum. Currus tamen Auguſti, veteris magnificentiae triumphatique orbis monimentum, ad haec ludicra revectus. Ut primum cetera immenſo ſumptu fuere adparata, murorum Urbis violata majeſtate, tot abhinc ſaeculis formidoloſis hoſtibus intacta, per dirutam partem ſubiit triumphalis pompa; praeeuntibus, qui coronas, victoriarum dona, praeferrent: mox vecti longo ordine tituli, qui-

Digitized by Google

bus inſcriptum, quo loco, quo cantionum, quove fabularum argumento partae victoriae: deinde inter citharoedorum turmas ibat Auguſti currus, in quo Princeps ſtans veſte purpurea, diſtincta ſtellis aureis chlamyde, capite coronam olympiacam, dextra Pythiam gerebat, retro ſtante in eodem curru Diodoro citharoedo. Pone ſequebatur, ovantium ritu, plauſorum agmen, "Auguſtanos ſe, militeſque triumphi" clamitantium. Conferta demum civitas ipſique ſenatores, contentis vocibus, ingeminabant: "Io victor Olympice! io victor Pythice, Auguſte! io Neroni Herculi! io Neroni Apollini! io omnium victor, Auguſte! Sacra vox! Fortunati, quis caeleſtem vocem audire datum"! Ita incedenti paſſim caedebantur victimae, ſpargebantur odores, aves, lemniſci, bellaria ingerebantur. Per circum maximum, Velabrum Forumque ducta pompa, Princeps ad palatium adſcendit, &, Apolline ſalutato, Circenſes indixit; acriorque rediit ludorum furor: nec in Urbe ſtetit, per provincias quoque pervagatus.

LXV. Remordebat tamen idemtidem memoria turbarum, quas Helius nuntiaverat. Quaeſita ex ſuperſtitione remedia, quibus fidem fecit caſus, ſtatim retecta conjuratione,

Digitized by Google

cum ſummum inſtaret diſcrimen. Nox enim unica reſtabat Neroni. Qui facinus patrare in ſe receperat, forte theatrum petiit, & pro foribus vidit vinctum hominem, miſerabiliter ejulantem, quod ad Neronem eſſet ducendus. Ille, miſericordia incertum, an jactantia, nimiave ſilentii mole preſſus, miſero propinquat, & in aurem inſuſurrat: "Dura ad craſtinam diem; cras mihi gratiam referes". Hic novitate ſpei arrectus, verbaque ſecum reputans, atrocia introſpicit, paratque indicium, in quo ſalutis certa, plurima fortunae ſpes. Ut coram Nerone adſtitit, audita refert. Reus, confeſtim in vincla raptus, tormentis ſubditur. Adverſum verbera & ignes primum pervicax, factum negat: ſed ſupplicii diuturnitate victus, aegre prolato, quod leviter prodiderat, ſe ſocioſque eamdem in ruinam detrudit. Multo ſanguine expiata conjuratione, ſuperſtitionis, cujus inſtinctu detecta credebatur, apud Principem crevit honos: addidit haruſpicum extiſpicia, ut major accederet ſecuritas.

LXVI. Incolumitati cum ita fuiſſet conſultum, intentior fuit libidinum cura. Juvit eas abſcondere Neapoli, quod ibi plus deliciarum, minus periculi. Vigebant maxime

Digitized by Google

quando gravior exorta est procella, quam nec superstitio, nec vis Principis, nec continuata tot annos Caesarum reverentia averteret. Initium habuit in Galliis. Provinciam pro praetore obtinebat C. Julius Vindex, Aquitanus, stirpe regia oriundus, animi consiliique ingens, tanto acrior, quod pluribus a vitiis integer. Illi non avaritia, non ambitio, non invidia, sed laudis cupido, libertatis studium, propudiosi Principis odium, cujus flagitia pertaesus, publicum dedecus propulsandi impetum cepit.

LXVII. Gallorum quidem certus, sed destitutus legionum auxilio, Sulpicium Galbam, citerioris Hispaniae rectorem, nobilitate, opibus, rebus in Germania & Africa gestis, apud legiones auctoritate, aversa a Principe voluntate, ad maturanda ausa non inhabilem sollicitat; scriptisque literis, orat, ut "humano generi assertorem ducemque se accommodet: ad partes juvandas centum millia Gallorum parata; plures mox adfuturos, tantum ne aspernetur Principatus spem, non quaesitam, sed oblatam". Simul scriptum aliis exercituum provinciarumve rectoribus, ut coeptis faverent, saltem ne obsisterent. At hi, in praesentem fortunam intenti,

Digitized by Google

tanto ſollicitius literas Neroni miſere, quanto avidius, eo ſublato, primas exitii partes & praemia ſibi poſtea vindicavere. Galba autem, diſſimulans quid tale ſibi fuiſſe ſcriptum, reſtitit; ſed caute magis, quam moderate.

LXVIII. Ut ſenſit Vindex Galbam velle impelli, ipſe in Gallorum conventu defectionem coeptat, queſtus: "Nulla manere imperii jura: omnia ſceleri patere: per omne nefas hominibus inludi: provincias latrociniis, domos caedibus vaſtari. Haec imperare Neronem, qui per Caeſareae ſtirpis excidium ad publicam ruinam ſe accinxerit; ne matrem quidem reveritus. Atrox facinus! ni morte fuiſſet digna, quae talem peſtem edidiſſet. Illum tanto inclementius nunc ferocire, quod unus e Caeſarum domo ſuperſtes, nec aemulum, nec ultorem timeat. Sed neminem diu vixiſſe omnibus infenſum. Jam Orientem turbari: Britannos lacertos moviſſe: legiones adfectum exuere: majeſtatem ipſam, maximum Principum munimentum, Neroni odioſam eſſe. Se, ſemet vidiſſe portentum illud, flagitiis commaculatum, in ſtuprorum & theatrorum propudia reſolutum, citharoedi gloria inſanum ſimul & indignum. Cur ergo Caeſaris, Principis, Auguſti titulis,

quos

Digitized by Google

quos divus Auguſtus virtutibus, divus Claudius beneficiis ſunt conſecuti, infamem Ahenobarbum condecorarent! Vocarent illum Thyeſten, Oedipum, Alcmaeonem, Oreſten, quoniam parricidialibus & inceſtis nominibus gloriaretur. Ecquid in hujus veneratione perſeverarent, qui nulla imperii, ſola libidinum vi ſubnixus, generi humano bellum indiceret? Majores eorum praedae cupidine olim Romam expugnaſſe. Id quidem in hac temporum barbarie fuiſſe egregium. At nunc, ubi vigent humanitatis honoriſque ſtudia, penes ipſos eſſe melioris & immortalis nominis gloriam. Orbi ſuccurrerent: ſe Romamque in libertatem vindicarent. Eo ventum eſſe, quo ceterae gentes, malis victae, iſtud decus certatim forent adfectaturae. Incoepti laudem ſibi praeripi ne ſinerent".

LXIX. Magno fremitu & plauſu excepta oratio. Mox ſuas in civitates quiſque alacres diſceſſere, ſtrenuam promptamque operam polliciti. Vindex autem novas ad Galbam literas miſit, quibus, nuntiata Gallorum voluntate, ejus animos ſpeſque inflaret. Haeſitabat adhuc Galba; terrebantque amicorum ejus plurimi, quod "quomodo res Vindicis verterent, quae eſſet Urbis inclinatio, oppo-

Digitized by Google

riendum" censerent. At fiduciam addidit T. Vinius, horum praecipuus, & rerum novarum, praedae spe magis, quam in Galbam studio, cupidus. Dixit "supervacuam consultationem: furiosorum esse, utrum in Neronis fide perstarent, quaerere". Tum ad Galbam conversus, "videret ipse, cum publicus hostis sit Nero, malletne Vindicem fortunae adjutorem habere, an Vindici bellum indicere; qui eum potius optaret Principem, quam Neronem tyrannum".

LXX. His victus videri gestiit Galba, senili ambitione & veteribus auguriis, quorum grata durat memoria, a summa spe non alienus. Illi etiam cura dudum inerat popularibus studiis animos captare: nec per octo annos (tot enim Hispaniam regebat) procuratorum violentiae se umquam accommodaverat: solitus quoque iis, qui eorum injuriis erant obnoxii, publice condolere: probrosa vero adversus Principem carmina passim circumferri recitarive impune ferebat. Talibus imminuta Principis auctoritate, suam intenderat. Itaque animos suas in partes inclinari posse ratus, Carthagine nova provinciae conventum edixit, quo "manumissioni vacaret". Haec obtentui. Interea amici, ut crescerent

Digitized by Google

celebritas, favor ſenſim gliſceret, "agi de ſumma imperii" ſecretis rumoribus ſpargere. Dicto die, ut primum Galba tribunal conſcendit, immenſo clamore *Imperator* ſalutatur.

LXXI. At ille, ubi ſilentium fecit, "Neronem, qui ſcelera ſceleribus contexeret, nec niſi per flagitia & funera dominaretur" inſectatus, ſubito ad nobiliſſimorum quorumque hoc principatu trucidatorum imagines, longo ordine diſpoſitas, vertit, & geminato animi ac vocis ardore: "Non meis", inquit, "verbis, ſed veſtris oculis Neronem cognoſcite. Contemplamini pallentes tot Caeſarum vultus, Neronis patrem, matrem, uxorem, fratrem, ſororem, amitam, propinquos, adfines, veneno, ferro, omnibus mortis generibus ſublatos, ob rabidam regnandi cupidinem. Circumſpicite Burrum, Lateranum, Veſtinum, C. Caſſium, Lucium Veterem, & tot Urbis primores, ad ſervitutis ſubſidium crudeli fato peremptos. Veſtra, veſtra videte ingenia, Annaeum Senecam, ſapientiae praeceptorem & exemplum, Annaeum Lucanum, animoſum juvenem, reipublicae ſpiritu plenum, & clariſſimi filii patrem optimum, Annaeum Melam, per invidiam exſtinctos. Has virtutis imagines adſpicite, Thraſeam

Digitized by Google

Paetum, Baream Soranum morte multatos, quasi cum ipsis virtus esset commoritura. Illustres feminas, Sextiam, Pollutiam, Serviliam cernite, nullo pudore, reluctante natura, ad supplicia vocatas. Inspicite ipsam infantiam, culpae rudem, poenis subditam; Rufinum Crispinum ob pueritiae lusus mari demersum. Hunc, hunc despicite tenellum & nobilem puerum (infantem monstrabat in Baleares insulas a Nerone ejectum, quem inde ipse retraxerat, ut major exoriretur miseratio) sortis suae aeque ac criminis nescium, nondum civem, jam exsulem. Haec Neronis facinora! haec monimenta! Apud illum nobilitas, opes, ingenium, virtus, sexus, aetas, vita ipsa crimina sunt. Per haec adversus genus humanum grassatur. Ruinam omnibus imminentem jam a Gallis propulsare coepit Vindex. Alii ab aliis, ego a vobis avertam. Caesaris, Imperatoris nominibus parcite. Me senatus populique Romani legatum esse memini: hoc mei muneris nomine, imperii majestatem, communem omnium salutem tueri juvat. Novi me a Nerone morti destinatum. Sed vitam, laboribus exercitam, periculis finire egregium. Vos tantum pro patria, pro vestra incolumitate certanti fa-

Digitized by Google

vete". In legati admirationem laudeſque ſecutae voces innumerae. Nero odioſis dicteriis cumulatur. Omnia ad libertatis & ſecuritatis munimentum apparantur.

LXXII. Nondum ita ferveſcebant Hiſpaniae, cum Italiam pervagatus eſt Galliarum defectionis rumor. Neapolim pervenit die ipſo, quo Nero matrem occiderat. Tamquam laetum fauſtumque aliquid fuiſſet nuntiatum, ſtatim in gymnaſium progredi, certanteſque athletas effuſiore gaudio ſpectare, quod inſperata opulentiſſimas provincias praedandi cauſa occurreret. Verum tumultuoſiores literae, ſuper cenam adlatae, iram incuſſere, quam, ut iratis adſolet, ſecuta eſt inertia. Primum quidem infremere, dira, iis qui deſciſſent, minari: ſed per octo continuòs dies nihil reſcribere, nihil praecipere; rem atroci ſilentio premere. Querelas tandem elicuere miſſa Vindicis edicta, quibus tanto magis irritabatur Nero, quod in iis *citharoedi mali* & *Ahenobarbi* nomina ad contumeliam ſaepius repetita. Talibus efferatus, excuſato languore faucium, propter quem non adeſſet, ad ſenatum ſcribit, ut "Vindicis impietatem accuſet: purget objectam artis inſcitiam: gentile nomen appro-

Digitized by Google

bet". Patres "in ultionem ſui reique publicae" hortatus, jubet "per praeconem nuntiari centies ſeſtertium iis, qui Vindicem interfeciſſent". Imbelle remedium, ex quo etiam Vindex gloriam quaeſivit; Neronis caput adferenti ſuum pollicitus.

LXXIII. Interim alii ſuper alios, acerbioreſque nuntii male tutum Principem et voluptatum latebra excivere. Romam trepidus petiit: at nec periculi magnitudine, nec locorum diverſitate mutatum ingenium. Eadem ſuperſtitio, par levitas. Erupere ipſa inter viarum diverticula; viſoque forte monumento, quo inſculptus erat Gallus, ab equite Romano oppreſſus, crinibuſque tractus, exſilit gaudio, caelum adorat, certiſſimum victoriae indicium auguratus. Itaque Romam redux, non ſenatum cogere, non populum appellare, ſed, quibuſdam e primoribus viris domum evocatis, poſt deſultoriam conſultationem, reliquum diei per organa hydraulica novi & ignoti generis circumducere: monſtrator ipſe operis, fabricae partes artemque differens; "omnia", ut adfirmabat "in theatrum, ſi per Vindicem liceat, prolaturus".

Digitized by Google

LXXIV. Nam, vel invitus, in Galliarum defectionis cogitationes revolvebatur; eam opprimendi non incuriosus, dum artes suae scenicae pariter valescerent. Inter utrasque distractus, copias, quas ad clauſtra Caspiarum adversus Albanos praemiserat, reverti jubet: novas in Urbe legit, tribubus Urbanis ad sacramentum citatis. Cum nullus idoneus responderet, certum dominis servorum numerum indixit, nec nisi probatissimos recepit. Quasi vero fatale esset, non posse Gallias debellari, nisi a consule, ipse, consulibus ante tempus magistratu abdicatis, solus magistratum iniit. Haec militiae, cetera luxui data. Maxima cura fuit, portandis scenicis organis vehicula deligere, concubinas, quas secum educeret, ad virilem modum tondere, & securibus peltisque Amazonicis instruere. Plus in his, quam in militibus fiduciae. Ausus etiam jactitare "simul ac primum provinciam attigisset, inermem se in conspectum exercituum proditurum, nec quidquam aliud quam fleturum: revocatisque ad paenitentiam defectoribus, sequenti die laetum inter laetos cantaturum epinicia, quae nunc jam sibi componi oporteret".

Digitized by Google

LXXV. Tam facilis victoriae opinione haud comminuta pecuniarum aviditas. Immo in belli impensas omnes ordines partem census conferre; privatarum aedium atque insularum inquilini pensionem annuam fisco repraesentare jussi. Addita fastidia, quod potentiorum injuriae ultimum, nec umquam impune. Mandatum enim exactoribus, nihil nummi recipere, nisi asperum, nihil argenti, nisi pusulatum, nihil auri, nisi ad obruffam. Gravis inde exorta invidia, plerisque collationem recusantibus, & "a delatoribus revocanda potius praemia" clamitantibus: accrevit ex annonae caritate; ac tandem subsecuta indignatio, cum in publica fame Alexandrina navis nuntiaretur frumenti loco pulverem e Nilo luctatoribus aulicis advexisse. Plebs, numquam arrogantior, quam cum jejuna, in convicia erumpere: alii verbis, scriptis alii Principem lacessere: multi, nocte jurgia cum servis simulantes, crebro *Vindicem* poscere.

LXXVI. Sed foeditatum usu in Nerone obcalluerat verecundia; & pro gloria habebatur conviciorum patientia. Pudore, extremo Principum praesidio, destitutum, & ad injurias patentem attonuit tamen tunc

Digitized by Google

nuntiata Galbae & Galliarum defectio. Ea audita, corruit exanimis, diuque ſine voce, ac prope intermortuus jacuit. Ut reſipuit, veſte deſciſſa, converberato capite "actum de ſe" queritur; ſpretiſque ſolatiis nutriculae, "ſimilia aliis Principibus accidiſſe" memorantis, "ſe praeter ceteros inaudita & incognita pati" lamentatur, "qui ſuum imperium vivus amittat". Sed, ut vanis ingeniis cuncta quoque ſunt vana, terror dolorque ceſſere; revaluere luxus & deſidia: acriora etiam, quod proſperi quiddam e provinciis nuntiatum, quodque ſenatus Galbam "hoſtem" judicaverat. Victoria ſtatim cantibus & ludis anteoccupata eſt; parſque inſanae laetitiae fuit templi Sabinae Poppaeae dedicatio. Galbae bona, ſub haſta venumdata, in has vanitates abiere. Gallorum vero opes, quod nondum erant domiti, ad praedam reſervatae.

LXXVII. Haec Neronis, alia fortunae deſtinatio. Nil jam in Urbe reliquum, niſi Principis nomen. Vis imperii in Hiſpaniam tranſierat. Super veterem exercitum penes Galbam aderant novae legiones, forma quaedam ſenatus, & equeſtris ordinis excubiae. Auctoritatem intendebant Hiſpanae Neronis

Digitized by Google

poſſeſſiones, auctionibus ſubditae. Majus adhuc potentiae inſtrumentum acceſſit Otho, provinciae Luſitaniae praefectus; in partes Galbae tanto pronior, quanto ob veteris injuriae memoriam Neroni infenſior: argentum aurumque privatum militi in ſtipendium ultro obtulit. Legatorum plerique, exemplum ſecuti, favori occurrere, aut proditarum Vindicis literarum, ut ſupra retuli, memoriam obliterare nitebantur. Pauci diverſis de cauſis ſuſpenſi & incerti. Clodius Macer, rapinis & caedibus in Africa adſuetus, imperium neque occupare, neque amittere volebat. In Syria Veſpaſianus Judaici belli cura lentus videri ſatagebat, ne fortunam feſtinatione corrumperet. Legiones inferioris Germaniae Fonteium Capitonem ad defectionem ſollicitabant, ſed avaritia retinebatur. In ſuperiore Germania, invicta, patriae, non Neronis ſtudio, Verginii Rufi conſtantia; nec a legionibus, vi ſua & fama ducis ferocibus, umquam impelli potuit, ut ſummam rerum acciperet: "Imperium a ſenatu, non a legionibus dari" dictitans. Ideoque Vindici iratus, qui id audaciae praeſumeret, exercitum in Gallias duxit, ne a Gallo homine tantum imperii dedecus oriretur.

Digitized by Google

LXXVIII. Tum Galliae erant sibi discordes. Pars nobilissima simulque validissima, Sequani, Aedui & Arverni, Vindicem sequebantur. Alii, quorum praecipui Lingones, Remi, & qui Rhenum adcolunt populi, partim provinciali aemulatione, partim veteris sacramenti usu, in Neronis fide perstabant. Viennenses vero Vindicis partibus se immiscuere, ut municipalia adversus Lugdunenses odia licentius persequerentur. Ea erat Galliarum inclinatio, cum Verginius, Germanicarum legionum viribus, & Belgarum auxiliis, Batavorumque alis potens, Gallias intravit. Vesontionem recta petiit; ingressuque prohibitus, obsidionem paravit. Ad urbis praesidium statim adstitit Vindex. In conspectu stabant acies: duces, amotis stipatoribus, in colloquium consensere, in quo, ut fuit suspicio, adversus Neronem foedus initum. Cum discessissent, Gallicus exercitus urbi propinquavit. Legiones, ratae Gallos ad pugnam incedere, primo impetu arma expediunt, proeliumque ineunt. Tunc visum atrox spectaculum. Nulla ducum imperia: regit militum furor: utrimque miscentur funera: caedibus crescit ira: certa internecio, ni Galli, inopinato proelio tur-

Digitized by Google

bidi, amissis viginti hominum millibus, victi tandem cessissent. Vindex, furens quod tanta libertatis spes casu vanesceret, violentas manus sibi adtulit. Reperti tamen, qui, turpiter ingestis cadaveri vulneribus, interfectorum gloriam quaesierint.

LXXIX. Legiones vero, confecto unica pugna bello superbae, Verginium *Imperatorem* salutant, orantque, ut "ipse Princeps fatiscenti reipublicae subveniat". Simul imagines Neronis devellunt: "Verginii Caesaris, Augusti", nomina ingeminant; eaque unus militum, loco imaginum, signo inscribit. Verginius, Vindicis morte tristis, & quo res reciderent, dubius, extritis literis, haec seditionis monumenta praeceps abolere, firmus sententiae, "senatus esse imperium dare". Perculsi milites stupent, Neronisque fidem repetere cogitant. Idem ferme sensus locis omnibus, quibus didita Gallorum cladis & Verginii constantiae fama.

LXXX. At ubi nuntius Hispaniam pervenit, Galbam, recenti unius alae seditione & servilibus insidiis inquietem, terror occupavit. Mortem primum, deinde secessum meditatur; scriptisque ad Verginium literis, quibus eum ad imperii societatem invitat,

Digitized by Google

Cluniam se cum amicis recipit, veteris otii desiderio languidus, nec quae temporis forent curans, aut intelligens. Sed ejus inertiam juvit fortuna, hominum ludibriis laeta, simul Caesarum domum vertebat, & quem destinabat imperio, terroribus exagitabat. Neronem vero, ut perditum iret, luxu & deliciis, quae unica supererant dominationis adminicula, usa est.

LXXXI. Forte unus e turpi spadonum grege, inter Principis libidines intimus, se injuriam indigne accepisse credidit. Per pudenda, uti solet id hominum genus, ultionem parat. Secretioribusque consiliis, quis destinatum Neroni senatum universum necare, Urbem iterum incendere, feras in populum immittere, aufugere Alexandriam, vere falsove proditis, inevitabile exitium adtulit. Nulla ante Principis reverentia; nullus amor, ni forte apud plebem, ludis insanam, sed mobilem, & potentiorum infortuniis semper laetam: corrupta aut inconstans exercituum fides: ne certa quidem praetoriarum cohortium studia. Ipse Petronius Turpilianus, ad opprimendum Galbam missus, defecerat. Nudus ergo & inermis patebat Nero, cum senatus, opprobriis, patientia, periculo

Digitized by Google

atrox, paratam ſibi ruinam in ejus auctorem convertere, totaque legum vi ſaevire properavit.

LXXXII. Nero ineluctabili, proviſo tamen, fato circumventus, ſumptum a Locuſta venenum in auream pyxidem condidit, & in hortos Servilianos ſeceſſit, comitante imbelli libidinum caterva. Tum varia animo agitare. Placet fuga dudum meditata; praemiſſiſque libertorum fidiſſimis Oſtiam ad claſſem praeparandam, tribunos centurioneſque praetorianos de fugae ſocietate tentat. Sed partim tergiverſantibus, partim aperte detrectantibus, uno etiam proclamante: "Uſque adeone mori miſerum eſt"! alio flexit conſilia; dubius "Parthoſne, an Galbam, ſupplex peteret, an atratus prodiret in publicum, proque roſtris, quanta maxima poſſet miſeratione, veniam praeteritorum precaretur; ac, ni flexiſſet animos, Aegypti praefecturam dari ſibi oraret". Certe inventus poſtea in ejus ſcrinio hac de infamia ſermo formatus. Recitatione deterritum putant, ne, priuſquam ad forum perveniret, diſcerperetur.

LXXXIII. Itaque conſilii incertus, cogitationem in poſterum diem diſtulit. Sed,

Digitized by Google

cum somnos non paterentur curae, ad mediam fere noctem excitatus, ut comperit, stationem militum recessisse, profilit e lecto, & mittit circum amicos. Nihil quoquam renuntiante, ipse cum paucis hospitia singulorum adit. At, clausis omnium foribus, respondente nullo, seu somnus, seu pavor, eos occupaverat, cubiculum praetrepidus repetit. Custodes jam diffugerant, direptis etiam stragulis, amota & pyxide veneni. Vastitate, suspicionibus turbidus, Spicillum mirmillonem, vel quemlibet alium percussorem, cujus manu pereat, requirit. Ne ad id quidem ministerii adesse quemquam miratus, in summae miseriae vocem, "sibi neque amicum esse, neque inimicum", erumpit, procurritque quasi praecipitaturus se in Tiberim.

LXXXIV. At vitam exosum, mortis pavidum, sistit inveterata mollities; & aliquid secretioris latebrae ad colligendum animum suadet. Phaon, libertus, suum obtulit suburbanum, inter Salariam & Nomentanam viam, circa quartum milliarium. Tantulum manet Principi suffugium! Ac quasi fatale esset, sordide etiam perire, nudo, ut erat, pede, tunicatus tantum, superinduta obsoleti coloris paenula, adoperto capite, & ante

Digitized by Google

faciem obtento ſudario, equum inſcendit; quatuor e tanta modo turba comitantibus, quos inter Sporus, ultimum, ut diximus, propudium. Turpis fuga, ſubito tremore terrae & fulgure adverſo damnata, ad novas patet injurias. Proxima itineri caſtra circumſonant clamoribus militum, Neroni adverſa, Galbae proſpera, ominantium. Ex obviis etiam viatoribus, alter: "hi Neronem perſequuntur", monſtrat: alter rogitat, "ecquid in Urbe novi de Nerone"? Ipſa reverentia in formidinis cauſam vertit: nam miſſicius quidam praetorianus Principem, detecta ob ſubitam equi conſternationem facie, agnoſcit, & ſalutationis officio ad deſperationem adigit.

LXXXV. Nec ſpes tantum fugae vaneſcebat, ſed primum ejus conſilium, cum praetorianis, ut ſupra memoravi, communicatum, jam in exitium cefferat. Quippe, mutato ſacramento, Galbam illico fecerant Principem, ducibus Nymphidio & Tigellino. Atque etiam, ne vetus Caeſarum fides recurreret, Nymphidius, per quodque nefas fortunae ſe inferendi cupidus, ſub nomine Galbae praetoriarum & urbanarum cohortium militibus ſingula tricena nummum millia promiſerat,

Digitized by Google

miſerat, legionariis quina millia. Enorme donativum, in Galbae aeque ac Neronis ruinam paratum, ut primam in ſpem veniret Nymphidius; formidoloſo quoque exemplo, in caedes Urbiſque excidium abituro, venale eſſe imperium, & juxta militum libidinem vari. Ubi per Urbem percrebuit favor militaris, traxit animos ad odium pridem incitatos. Ne in ſenatu quidem quidquam moderati, aut verecundi. Publicis ſtudiis, ſententium numero, auctoritatis inſolentia ad atrociora quaeque impellitur. Nec de tollendo Principe, ſed qua tolli queat turpiore contumelia, certatur. Hos inter clamores Nero "hoſtis" judicatur, "more majorum puniendus". Galba vero in imperium adſcitus, non quod melior, ſed quia Neroni iratior. Tum miſſi equites, qui fugitivum Neronem ad ſupplicia vivum attraherent.

LXXXVI. At is per diverticula, fruticeta inter ac vepres, occulto effoſſae cavernae introitu, in Phaontis ſuburbanum aegre inrepſerat. Nihil ibi priſtinae dignitatis manet: ſola inhaerent vitia, quae, ut vitam, ſic mortem, infamavere. Corpus, deliciarum uſu fractum, levamenta, quae offert loci nuditas, aut refugit, aut miſerabiliter tolerat.

Digitized by Google

Animo nihil fixum, nihil firmum; impetus tantum, & scenica levitas. Comitibus, ut "quam primum se impendenti contumeliae eripiat, instantibus" annuit: sed scrobem fieri imperat; frusta marmoris, aquam, ligna, ceteraque funerum parat, flens ad singula; atque idemtidem dictitans, "qualis artifex pereo".

LXXXVII. Has inter moras perlatos a Phaontis cursore codicillos avidus praeripit; lectoque se hostem a senatu judicatum, & quaeri, ut more majorum puniatur, interrogat "quale id genus sit poenae". Comperto, nudi hominis cervicem inseri furcae, corpus virgis ad necem caedi, conterritus duos pugiones, quos secum tulerat, arripit; utriusque acie praetentata, rursus condit, causatus "nondum adesse fatalem horam". Subinde modo Sporum hortari, "ut lamentari ac plangere inciperet": modo orare, ut "se aliquis ad mortem capessendam exemplo juvaret": interdum segnitiem suam increpare. Inanibus verbis robur indidit adventantium equitum sonitus. Tunc, ignominiam exhorrescens, Homerico versu trepidanter recitato, ferrum, juvante Epaphrodito, jugulo adigit; prius comites precatus, "ne potestas

Digitized by Google

uiquam capitis sui fieret, sed ut quoquo-
modo totus cremaretur". Centurioni, qui
nox adstitit, &, paenula ad vulnus adposita,
auxilium se venisse simulabat, semianimis
espondit, "Sero. Haec est fides". In hac
oce defecit, exstantibus torveque rigentibus
culis, primo & trigesimo aetatis anno, im-
erii quartodecimo, optimis initiis, fine pes-
mo, execrabili memoria.

LXXXVIII. Cadaver cremari permi-
t Icelus, Galbae libertus, primo tumultu
onjectus in vincula, tunc exsolutus: fingu-
ari fato in praesens Neroni supremae sortis
rbiter, postea Galbae fortunam corruptu-
us, & per tam diversa facinora suum in
xitium praeceps. Modicum fuit funus, &
ntra privati modum. Reliquiae a nutricibus
& Acte concubina in gentili Domitiorum mo-
umento conditae. Sic exscisa Caesarum
lomus, suo & libertatis damno per centum
& quindecim annos dominata: magna virtu-
tum claritate, si C. Julii sublimem, magni-
ficam Augusti, profundam Tiberii mentem
virtutibus annumeraveris: immensa vero
scelerum fama, publico quoque odio ob Ti-
berii truculentiam, Cali furorem, stoliditа-
tem Claudii, & Neronis improbitatem. Fuso

Digitized by Google

ſanguine Romano, auctoritatem orſa, per nobiliſſimorum quorumque caedes invaluit, donec, furore in ſuos verſo, ad ultimum ſe ipſa confecit, numquam melior, quam cum coepit, numquam pejor, quam cum deſiit.

LXXXIX. Ejus ruinam portendere viſa prodigia plurima; retroacti amnes, prata in contrarias ſedes tranſgreſſa, prolapſa cupreſſus Urbi aequaeva, lauri, a Livia ſatae, illico aridae, aliaque id genus: leve libertatis incitamentum, ob ſervitutis adſuetudinem, poſteriorum Caeſarum vitiis validius, quam priorum artibus, coalitam. Pileata tamen diſcucurrit plebs, in laetitiae ſigna praeceps ſemper & inconſtans. Mox omnium ſtudia in novi Principatus ſpem ac fortunam conſpiravere. Praecipua Nymphidii Sabini, praetorianorum praefecti, cura in ſe cuncta trahere, ut ante Galbae adventum firmata auctoritate, aut ſecundus in imperio ageret, aut, ſi ſenex, tres & ſeptuaginta annos natus, itineris defatigatione occumberet, ipſe capeſſeret imperium: reputans "praetorias cohortes, dudum favorabiles, nunc donativi promiſſo obligatas: penes ſe eſſe totam liberalitatis gratiam, apud Galbam neceſſitatem". Proinde, ne tantas ſpes praecideret Tigellini

Digitized by Google

ſocietas, ei gladio interdicit: ſimul conſulares, ceteroſque, qui exercitus provinciaſve olim rexerant, conviviis aliiſque id genus lautitiis occupat. Iiſdem artibus per caſtra gliſcit ambitio: plurimi jactitant "mittendos ad Galbam legatos, qui Nymphidium perpetuum, & ſine collega, praetorianorum praefectum" efflagitent.

XC. Par in ſenatu adulatio. Patres ejus foribus adſidere: beneficentiam laudare: omnibus ſenatuſconſultis auctorem habere. Inde, uti fert hominum natura, orta Nymphidio arrogantia, ſenatui invidia, dein metus. Cito erupere haec diſcordiarum ſemina. Patres, cum ſenatuſconſultum ad Galbam per tabellarios ſuos miſiſſent, dedere ſimul diplomata, ſigillo ſuo obſignata, quis oppida curſum celerarent. Succenſuit Nymphidius, queſtus "patres nec ſuo ſigno, nec praetorianis uſos": poenas etiam, ut fama fuit, repetiturus, ni ſupplices, excuſataque imprudentia, veniam exoraſſent.

XCI. Tum, nihil non audendum ratus, odiis vulgi per prioris Principatus ignominiam gratificatur. Raptatae Neronis imagines. Spicillus, gladiator, cum iis tractus, in foro trucidatur. Acta per corpus Aponii, dela-

Digitized by Google

tionibus infamis, plaustra, lapidibus gravida In hac vulgi licentia, fontium & infontium multitudo adeo promiscue perit, ut Mauricus, futuri providus, "Urbi promptum Neronis desiderium" praenuntiaverit. Interim a Nymphidio, se Caii Caesaris filium ementito, consulebatur, ut grata semper populo Romano Germanici memoria reviviscere. Haec quidem in fortunae spem parata, in exitii causas vertere.

XCII. Galba enim, perlatis mira celeritate nuntiis, se a senatu Imperatorem fuisse consalutatum, auditoque Neronis fine, Romam erat profectus: atrox ob diu ancipitem imperii spem, necdum satis firmam; quod, cum iter faceret, nuntiarentur timerenturque turbae, in repentinis casibus solitae. Ob id, neglecta toga, paludatus, & dependente a cervicibus pugione ante pectus, quasi per hostile solum, iter ingressus est. Pronus in severitatem, Hispaniarum Galliarumque civitates, quibus cunctatior fuerat fides, gravioribus tributis, finium quoque damno attrivit: auctoresque cunctationis, Obultronius Sabinus & Cornelius Marcellus in Hispania, Betuus Chilo in Gallia, occisi. Simul Principis jussu Trebonius Garucianus, procura-

Digitized by Google

ter, Clodium Macrum in Africa turbantem interficit. Fonteius Capito, ambiguis ſtudiis ſuſpectus, in Germania periit, a Cornelio Aquino & Fabio Valente oppreſſus.

XCIII. Formidoloſiorem Nymphidium praepropera cupido perditum iit. Cum ſecundas in imperio obtinere vanis artibus tentaſſet, Vinio, Lacone, Icelo praepollentibus, & Othone per Vinii favorem ad fortunam ſenſim inrepente, imperium invadere occupat, Mithridatis Pontici opibus ſubnixus. Illi in praetoriano milite ſpes; & ne imparatus ad id dignitatis accederet, orationem a Cingonio Varrone, venali ingenio, in tantum faſtigium ſcriptam, edidicerat. Nox propinqua talibus auſis deſtinabatur. Reſtitit Antonii Honorati, tribuni, fides. Praemonitis enim praetorianis, "tot vices dedecere: praecipitem fuiſſe a Nerone, licet ſcelerum reo, defectionem: a Galba, novo & laudato Principe, probroſam fore: turpe inſuper, ſi Liviae adfinem Nymphidiae filio poſtponerent". Cum Nymphidius caſtra adiiſſet, ſeu ut ſua in fide firmaret animos, ſeu ut ortos forte motus ſedaret, ipſo in ingreſſu confoſſus occubuit.

Digitized by Google

XCIV. Galba, hac caede nuntiata, quaſi imperii paciſque certus, togam ſumpſit: ſed mutato habitu haud mutata mens. Inerant ſemper ira, diffidentia, injuriarum memoria, ceteraque pavidi animi, in privato homine inhoneſta, funeſta Principi, cujus initia vera fictave laetitia gratiaque debent clareſcere. Immo plus invidiae movit caedes Petronii Turpiliani, conſularis & triumphalis viri, imperata, quod Neronis dux fuiſſet, & a Tigellino patrata. Atrox quoque viſum, praeter Mithridaten & Cingonium, conſulem deſignatum, Principis edicto amicos ſocioſve Nymphidii inauditos & indefenſos morte mulctari. Molliiſſet tamen intempeſtivam ſeveritatem tutandi imperii voluntas, aut neceſſitas, ni fuiſſet idem adverſus omnes atque immeritos rigor. Sed cum legati, a ſenatu miſſi, Narbonem Martium adventaſſent, ut Principi gratularentur, & "quam primum Romam veniret", orarent, parca fuit civilitas, nihil comitatis. Pari illiberalitate exceptus Verginius, debellato imperii hoſte, ſpreto Principatu, ſummum honoris promeritus. At felix, qui ob nimiam virtutem parum gratus ſuſpicaci Principi, id in his temporum adverſis eſt adſecutus, ut malorum

Digitized by Google

reipublicae spectator tantum, non actor, gloriae suae superstes, ad ea usque duraverit tempora, quibus revixit Romana felicitas.

XCV. Cruento autem Principis itinere foedior adhuc adventus. Urbsque horruit Claſſiarios, qui obviam occurrerant, ſibique militiam a Nerone datam ſervari orabant, non modo rejici, ſed, qui aquilam ſignaque pertinacius flagitaverant, immiſſo confeſtim equite, equorum vi obteri, aut trucidari: ſuperſtites, in Urbis oculis, decumari, cuſtodiave attineri, licet in fidem acceptos. Amoti etiam praetorianorum plerique, ob Nymphidii molimina ſuſpecti. Germanorum cohors, quae multis fidei experimentis ſe prioribus Caeſaribus in corporis cuſtodia approbaverat, tum diſſoluta, ac ſine ullo commodo in patriam remiſſa; quaſi Dolabellae, juxta cujus hortos tendebat, pronior.

XCVI. Talibus non facta ſecuritas, conflata tantum odia, quae in dies creſcebant, dum apud ſenem, in poenas promptum, tardum ad praemia, nullus eſſet gratiae locus, conceſſaque a prioribus Principibus beneficia eriperentur. Inritati adhuc animi, quod, ſuper Principis vitia, majora ex hominibus, quibus ſe abutendum permiſerat, orirentur

Digitized by Google

pericula. Titus Vinius, quem ſupra memoravi, ut favore praecipuus, ſic cupiditate immenſa graſſabatur. Cornelio Laconi, ex adſeſſore praefecto praetorii, arrogantia ſocordiaque intolerabilis. Icelus, libertus, anulis donatus equeſtrique nomine, potentiſſimorum olim libertorum opes aemulabatur. Hos inter, lucri ſpe & ob ſenium Principis, in ruinam praeceps concordia: nec cura, niſi unde citior majorque fortuna pararetur.

XCVII. Galba, his obnoxius, non ſuopte ingenio, ſed pro eorum cupidine, regebatur. Per eos ergo licuit, ut Helium, Polycletum, Petinum, Patrobium, Neronis libidinum miniſtros, plecteret. Tigellinum vero, nequiorem & inviſum magis, at magna pecuniarum vi favorem T. Vinii emercatum, morti ſubduxit; populumque Romanum, qui eum ad poenas aſſidue repetebat, edicto increpuit, quod "hominem tabe ferme enectum perſequerentur": flagitabat, ne "Principatum ſuum cruentarent, odioſumque facerent". Tigellinus, quaſi deûm munere ſervatus, pro ſalute ſua litare; magnoque ſumptu parata cena, Vinii filiae, alia jam elargitus, decies ſeſtertium propinare. Promum credere, quam id fuerit populo ingra-

Digitized by Google

tum, quae inde adverſus Galbam invidia. Accedebant tetrica ſenectus, triſtis avaritia, praepoſtere tentata imperii leges moreſque emendandi conſilia, & vana libertatis reſtitutae oſtentatio. Praeterea gliſcebant per exercitus querelae, quod donativum ſibi promiſſum fruſtra repoſcerent. Efferavit quoque animos magnifica, ſed non talis Imperatoris, nec hujus temporis, vox, "legi a ſe militem, non emi". Sic coaleſcebant diſcordiarum cauſae, quae ſequentem annum funeſtavere, amplum hiſtoriae argumentum.

Digitized by Google

SVPPLEMENTVM
LIBRI QVINTI
HISTORIARVM

BREVIARIVM

XXVI. Batavi in fidem recepti; pacataque Germania, XXVII. Lingones favorem Domitiani occupant. Caeſo Fonteio Agrippa, Sarmatae Moeſiam populantur: mox a Rubrio Gallo fuſi. XXVIII. Obſidio Hieroſolymitana. Primus urbis murus perrumpitur. XXIX. In alterius ruina acriter pugnatum. XXX. Judaeorum pervicacia. XXXI. Titus tridui opere urbem muro circumvallat. Expugnatur & exſcinditur turris Antonia. XXXIV. Fames, peſtis Hieroſolymis graſſantur. XXXV. Templum invadere fruſtra tentant Romani. XXXVI. Portas ſuccendi, templum tamen ſervari jubet Titus. XXXVII. Judaei, ſuam in ruinam praecipites, inconſulto in Romanos inrumpunt. XXXVIII. Templum incenditur; ibique poſitis ſignis, Titus imperator conſalutatur. XL. Reliquae Judaici belli foeditates. Ardent Hieroſolyma. XLII. Titus, urbis ruinas ingreſſus, Deum victoriae auctorem profitetur. XLIII. Inde Caeſaream diſcedit, Orientem luſtraturus. Lucilius Baſſus, quae ſupererant in Judaea, expugnat. XLIV. Interim Veſpaſianus Alexandria Romam redierat templi Capitolini operas exemplo inflammat. XLVI. Titus, ex Oriente redux, Hieroſolyma reviſit, ruinaſque miſeratur: Memphim venit; evinctuſque ca-

Digitized by Google

put diademate, Apidis consecrationi interest: unde Romae conflata invidiae materia. XLVII. Vespasianus Hispaniae jus Latii tribuit: mox ad urbana negotia intentus. XLVIII. Vitae ejus ratio. XLIX. Erga liberos cura. Titus Romam venit. L. Vespasiano Titoque decernitur triumphus. Ejus pompa. LII. Clauditur Janus. Templum Pacis a Vespasiano conditum: ibi sacrata templi Hierosolymitani monumenta. Conspirantibus Vespasiani Titique votis, tentatur morum emendatio, Urbe vitiis fessa.

Haec gesta.

An. V. C.	Aer. Chr.	
DCCCXXIII.	70. *Coss.*	FLAVIO VESPASIANO Aug. II. TITO VESPASIANO Caesare.
DCCCXXIV.	71. *Coss.*	FLAVIO VESPASIANO Aug. III. M. COCCEIO Nerva.

Digitized by Google

AN. V. C. DCCCXXIII. AER. CHR. 70.

Nom fefellit Civilem ea inclinatio, & praevenire ſtatuit; ſuper taedium malorum, etiam ſpe vitae, quae plerumque magnos animos infringit. Petito colloquio, ſcinditur Nabaliae fluminis pons; in cujus abrupta progreſſi duces: & Civilis ita coepit: "Si apud Vitellii legatum defenderer; neque facto meo venia, neque dictis fides debebatur. Cuncta inter nos inimica, hoſtilia, ab illo coepta, a me aucta erant. Erga Veſpaſianum vetus mihi obſervantia: &, cum privatus eſſet, amici vocabamur. Hoc Primo Antonio notum, cujus epiſtolis ad bellum accitus ſum, ne Germanicae legiones & Gallica juventus Alpes tranſcenderet. Quae Antonius epiſtolis, Hordeonius Flaccus praeſens monebat, arma in Germania movi. Quae Mucianus in Syria, Aponius in Moeſia, Flavianus in Pannonia, Tiberius Alexander in Aegypto, eadem fovi conſilia. Pari ſtudio Batavos, Canninefates, veteranaſque cohortes in verba Veſpaſiani adegi. Si quid poſtea hoſtile inrepſit, jure an injuria ſuſceptum haud dixerim. Malim turbida temporum in-

Digitized by Google

cusare, quam dubia imputare crimina. Certe vel ipsa inter bella me semper in pacem propendisse, Romanorumque partes juvisse, multa fuere argumenta, & recens adhuc memoria. Nec per me stabit, quo minus inter Romanos & Batavos fida firmaque societas renovetur. Olim sacramenti hortatorem, nunc me juvat esse conciliatorem pacis". Studiis ita conspirantibus, in fidem recepti sunt Batavi, pacataque Germania.

XXVII. Lingones, Civilis societate innexi, Domitiani favorem occupaverant, septuaginta millibus armatorum in ejus obsequium redactis. Atrocius cum Sarmatis pugnatum. Fonteius Agrippa, Moesiae, ut dictum est supra, praepositus, adversus barbarorum vim invalidus, pugnando fortiter occubuit. Tum cuncta incursionibus, populationibus obnoxia. Clade Vespasiano nuntiata, Rubrium Gallum misit, qui rem restituit, fusosque saepe barbaros renare Danubium coegit: &, ne regredi iis foret animus, Romanis praesidiis validiora addidit munimenta.

XXVIII. At major belli moles in Judaea agitabatur. Titus, cum cuncta expugnandis Hierosolymis apta struxisset, adulto

Digitized by Google

nae etiam oftentabantur, ſub belli
dverſis Ceſtii Galli, Syriae legati,
ptae. Feroces inde animos, impu-
flectere tentavit Titus. At cle-
Caeſaris pavorem interpretantes,
nuntiis, audentia crevere. Ex
legionibus, contumeliae indigni-
ferentibus, certiſque ardua quae-
i, ut promptior acriorque ultio
perantur opera: muris admotae
corruptae obſeſſorum ſaxis igni-
nfeſtim refectae. Expugnandae
m dari ardet miles. Quo plus
ius animi. Dato ſigno, acerrimus
ela inter & ſaxa enifi, diruta alte-
parte, viam fecere. At, quod
rat aditus, nec Titus vaſtitatem
lit, clementia potius, quam belli
lum ratus; Judaei indulgentia in
abuti, tantoque impetu in paucos
qui, duce Tito, ſubierant, in-
eos extra murum pellerent. Atrox
s; triduoque in muri ruina, quam
poſitis corporibus vallabant, pugna-
andem quarto die, victis Judaeis,
cedentibus, ad turrim Antoniam
eſt.

Digitized by Google

jam vere, operi inſtitit, morarum impatiens. Utrimque paribus animis certatum. Judaei locorum ingenio, hominum multitudine (nam undique terrarum, atque etiam trans Euphraten, gentili diſcrimine pietateve exciti, convenerant) primum valuere: longiuſque effoſſis ſubter terram cuniculis, ruinam machinis, militibus, ſi forte materiarum cauſa, aquarumve penuria per agros palarentur, necem inferebant. Una quoque e tribus turribus, quas in quinquagenorum cubitorum altitudinem Titus eduxerat, fortuito caſu nocte prolapſa, oppugnatoribus terrorem moraſque intulit. At tandem arte & virtute praepotuit Romana res, adjuta Titi periculo, impacto ſaxo laevum humerum ſaucii. Legiones, ducis vulnere inritatae, conniti; & perrupto muro, primam urbis partem, Septemtrionibus objectam, occupare: integra Judaeorum multitudine, quae in interiora ſeceſſerat.

XXIX. Crevit itaque cum fortuna periculum. Anguſtioribus enim ſtandum locis; quantoque arctior, tanto validior interiorum urbis munitionum vis: duplicatus quoque propugnatorum numerus. Aderat & immenſa armorum ſupellex: nam praeter ſolitas, aut in hanc neceſſitatem inventas Judaeis machinas,

Digitized by Google

nas, Romanae etiam oſtentabantur, ſub belli initia in adverſis Ceſtii Galli, Syriae legati, proeliis captae. Feroces inde animos, impunitatis ſpe, flectere tentavit Titus. At clementiam Caeſaris pavorem interpretantes, ſpretis ejus nuntiis, audentia crevere. Ex eo major ira legionibus, contumeliae indignitatem aegre ferentibus, certiſque ardua quaeque adgredi, ut promptior acriorque ultio foret. Properantur opera: muris admotae machinae: corruptae obſeſſorum ſaxis ignibuſve, confeſtim refectae. Expugnandae urbis ſignum dari ardet miles. Quo plus periculi, plus animi. Dato ſigno, acerrimus quiſque, tela inter & ſaxa enifi, diruta alterius muri parte, viam fecere. At, quod anguſtior erat aditus, nec Titus vaſtitatem ſtatim intulit, clementia potius, quam belli jure utendum ratus; Judaei indulgentia in perfidiam abuti, tantoque impetu in paucos Romanos, qui, duce Tito, ſubierant, inruere, ut eos extra murum pellerent. Atrox hic caedes; triduoque in muri ruina, quam Judaei oppoſitis corporibus vallabant, pugnatum. Tandem quarto die, victis Judaeis, intuſque cedentibus, ad turrim Antoniam ventum eſt.

Digitized by Google

XXX. Cum ea foret ſolo editiore inacceſſa, ſtructi ad oppugnandum aggeres. Interim, ut Judaeorum audacia terrore flecteretur, per quatuor dies oſtentata acies Romana: publice data annona: ingentem auri argentique vim, minaſque militum, armis & inſignibus fulgentium, e ſummis moenibus parteque ſeptemtrionali templi proſpectabant obſeſſi. Praeterea miſſus Joſephus, nobis jam ſupra memoratus, qui eos veniae, libertatis, fortunarum ſpe ad deditionem excitaret. Nec hoſtilium virium aſpectus, nec promiſſa, ne horrenda quidem fames, quae jam ſaeviebat, feroces animos molliere. Immo ipſi transfugae, Titi clementia in caſtra Romana recepti, occulta meditabantur crimina; & ſi quem forte Romanorum ſolum repererant, jugulabant, aut clam obturatis corruptiſve fontibus, inſanabile malum adferebant. Multi in talis perfidiae poenas, gentiliumque terriculum, ante urbis oculos crucibus adfixi, trunciſve manibus ad ſuos remiſſi. His ſuppliciis exacerbata adhuc odia; ultionemque nova ruina parabat Joannes. Effoſſis enim ſub aggeribus terra, incenſiſque materiis, quibus opus penſile ſuſtinebatur, ſubito hiatu abſorpti ſunt aggeres: diffiluere machi-

Digitized by Google

nae; &, erumpente flamma, ſtatim hauſtae ſunt. Nihil triſtius toto bello contigerat. Id tamen biduo poſt ferme renovatum. Simonis enim inſtinctu, tres juvenes, praecipua apud eos audacia, Tephthaeus, Megaſſarus & Chagiras, (nam barbara etiam nomina ob facinoris inſigne memoranda) urbe, raptis facibus, egreſſi, machinas aliis aggeribus impoſitas, per medios hoſtes, per tela, per gladios, incendendas ſuſceperunt, & incendere: neque ignes, propter Judaeorum, e muro, factaque inruptione, pugnantium, pervicaciam, reſtingui potuerunt.

XXXI. Adverſo caſu haud fracta Titi conſtantia: ſed cladem in urbis exitium vertit; eamque incredibili tridui opere per triginta novem ſtadia muro ac turribus ita circumvallavit, ut nulla effugii ſpes obſeſſos maneret. In hac neceſſitate, multa fuere Judaeorum transfugia; haud meliore iis penes Romanos, quam penes ſuos, ſorte. Multi enim, longa fame invalidi, oblatis adfatim cibis enecabantur: alii, innata genti auri cupidine, comperti opes ſuas, antequam transfugerent, voraſſe, ab Arabibus Syriſque diſſecti ſunt: ne Romanus quidem miles ab ea atrocitate penitus integer. Judaeorum duo

Digitized by Google

millia ſic periere; indignante quidem Tito, & morte iis, qui tale poſt ſcelus auderent, intentata. Ceteris autem, qui in urbe manſerant, nulla ſalutis cura. Ducibus tantum furor: Joannes in templi ſpoliationes praeceps, in gentilium caedes Simon: tam effrena libidine, ut ſi ab oppugnatione deſtitiſſent Romani, Hieroſolyma furialibus ſuorum odiis periiſſent.

XXXII. Taedio praeſentium, futurorum metu, praefectus turri Antoniae, Judas nomine, cum fidiſſimis Judaeis decem, proditionem pepigit. Jam Titis, turrim occupaturus, adventabat, cum Simon, retectis conſiliis, proditores circumvenit; hiſque ante Romanorum ora jugulatis, diſcerpta eorum membra projecit. At, flagitii loco, Romanis adfuere fortuna & virtus. Ubi enim admotae machinae, pars muri, a Joanne, ut memoravimus, ſuffoſſa, repente corruit. Juvit hac inrumpere. Alter tamen adſurgebat murus, quem Joannes, prioris caſu diffiſus, ſtruxerat. Sabinus, periculo laudiſque cupidine accenſus, lectis undecim ſociis, tela inter & ſaxa, deſuper vibrata, murum ſuperat; Judaeoſque audacia ita attonuit, ut in fugam verterentur. At forte pedem ſaxo inliſus,

Digitized by Google

magno cum armorum ſonitu procidit. Converſi Judaei in eum inruunt. Sabinus, in genu erectus, tectuſque clipeo, eorum impetum fortiter ſuſtinet, & proximum quemque vulneribus adfligit, donec ipſe, telis undique petitus, occubuit: tres, qui eum ſecuti in murum evaſerant, trucidati: reliqui ſaucii, in caſtra aegre retracti. Virtutis exemplum Romanos inflammat; turriſque Antonia ſexto oppugnationis die capta: juſſit Caeſar "eam funditus everti; tentarique adhuc Judaeorum animos, utrum deditionem vellent facere": ipſe pollicitus, "inlaeſum inviolatumque fore templum, ſervata etiam loci ſanctitate, quem Romanis adire nefas".

XXXIII. Duratis ad mala animis, nihil ſani ſupererat conſilii. Itaque ſtructi aggeres, & templo propinquatum. Titus, ſubita inruptione illud occupari poſſe ratus, mittit Sextum Cerealem, qui cum lectiſſima militum manu illud noctu invadat. Il hora noctis nona ſubiere. Judaei, non dediti, ut ſperabatur, ſomno, ſtatim adſtiterunt: acriter pugnatum, minore tamen Romanorum, quam Judaeorum clade. Romanus enim miles, belli gnarus, ſeſe ſigno noſcitabat, & inter ſe ſtipatus, conſertiſque ſcutis, haud

Digitized by Google

ita vulneribus patebat. Contra Judaei, temeritate acti, suorumque ob tenebras ignari plus sibi, quam hostibus, exitii inferebant valebant tamen numero; nec pugnae finem nox adtulit. Orta luce, cum discrimine crevit ardor: certamen ante quintam diei horam haud diremptum; &, ancipiti victoria utrimque discessum. Tum Titus struendis aggeribus acrius institit, ut templi oppugnationem celeraret. Primum fuit Judaeis resistendi impetus; & juxta montem Olivarum erupere: sed vi Romana pulsi fractique. Aucta tantum inrito conatu ira.

XXXIV. Acerbior tamen in dies urbis status: ingravescebat fames: auditumque enectos pueros; matrem (foedum dictu & hactenus inauditum) filio suo pastam, inutili scelere. Nam mortem nefarie dilatam urgebat tetra lues, famis comes. Ipsa peste gravior adhuc necessitas, cum plurimi, aut fame pressi, aut ejus metu, domos penetrant; &, dum si quid edule occultatum rimantur, cuncta latrociniis & caedibus miscent. Populus, his malis victus, vias pacis tandem iniisset, ni duces, scelerum conscientia feroces, fanaticaque vatum turba, "quanto instantius discrimen, tanto propiorem manifestiorem-

Digitized by Google

que Dei opem" jactitantium, salubria avertissent consilia. At mentes, timorem inter spemque ancipites, turbabant dira praesagia, supra jam memorata, & atroces excidii minae. Nempe e plebe quidam, Jesus nomine, quadriennio ante inchoatum bellum acerba in populum, urbem templumque, diu ac noctu fuerat vociferatus: nec minis, nec verberibus a ferali carmine destiterat. Coepto urbis obsidio, quasi facta praesagiis fide, moestus & in atra cogitationum conditus moenibus obambulabat, clamitans: "vae, vae iterum urbi, templo, populo"! Haec tum ingeminans: "vae, vae mihi"! exclamavit, corruitque exanimis, lapide balista excusso percussus. Recens adhuc postentum, & in tristius interpretatum, cessavit jugé sacrificium.

XXXV. Talibus efferati Judaei per suas strages vagantur, ferro, flamma, tectorum, murorum, aggerum subversionibus Romanos obrui, aut a templo averti posse opinati. Has inter ruinas, flammantibusque porticibus, patuit magnifica templi facies. Quasi religione attonitus, stetit Romanus exercitus. Opus fuit, ut Titus juberet "ulterius audere; & per violata jam Judaeis sacra poenas de gente, hominibus deisque invisa, ejus

Digitized by Google

excidio repeti". Structi aggeres, admotae validissimae machinae; inrito tamen labore, ob immensas lapidum moles. Adpositae ergo templi porticibus scalae. Nec subeuntibus obstitere Judaei: at, ubi primum in manus venerunt, obvios praecipitare, proximos obruere, scalas excutere, deturbare plurimos, in porticus jam egressos fodere. Acriter certavere signiferi, sed multitudine oppressi, contrucidati sunt, captaque signa Romana.

XXXVI. Titus, sua in templum indulgentia, periclitari virtutem Romanam, Judaeorum audaciam crescere expertus, jussit "ejus portas succendi". Congestis accensisque materiis, flammae, inter argentum, quo portae obducebantur, eluctatae, ligna corripuere. Dissilientibus foribus, flammisque erumpentibus, obstupuere Judaei; iis ne satis quidem animi ad arcenda incendia, quae die noctuque grassata sunt. Interim Titus, accitis exercitus sui ducibus, de templo consultabat. In diversum distrahebantur sententiae. Alii censebant "jure belli utendum: Judaeis fore contumaciam, dum staret id monumentum: huc eos undique terrarum convenire: solo ejus excidio paci satis consuli". Aliis placebat "illud quidem servari,

Digitized by Google

ſi, adeuntibus legionibus, arma deponerent Judaei: ſin bellarent, exſcindi: jam enim non ſedem numinis, ſed belli arcem eſſe: nec penes Romanos, ſed penes Judaeos, ad ejus everſionem duratos, fore piaculum". Titus contra adſeveravit, "etiamſi reſiſterent Judaei, ſe numquam commiſſurum, ut in eorum pervicaciae poenam adverſus templum ſaeviret: tantae magnificentiae opus dirui non poſſe ſine populi Romani injuria: grande vero, ſi ſtaret; fore imperii & victoriae ornamentum". Tito adſenſere Fronto, Alexander & Cerealis; datoque legionibus, ut interquieſcerent, ſpatio, delectae cohortes, quae templi incendia reſtinguerent, viamque ſternerent, qua facilis legionibus foret aditus.

XXXVII. Dum templo ita invigilabat clementia Romana, in ejus ruinam praecipites Judaeos agit furor. Magno enim impetu per orientalem portam egreſſi, in Romanos, qui in templo exteriore excubias agebant, inrumpunt. Impetum fortiter ſuſtinuere Romani, denſis ordinibus, & conſertis ante ora clipeis, immobiles & impenetrabiles. Numero tamen impares ceſſiſſent, ni Titus, e turri Antonia pugnam proſpectans, citus

Digitized by Google

opem cum lectis equitibus tuliſſet. Judaei adverſus Caeſaris vim invalidi, & in fugam acti, ſubitariis velitationibus fruſtra inluſere ſemper victi, in templum profugiunt.

XXXVIII. Tum Titus, in Antoniam turrim reverſus, poſtero die tota ſuorum vi inruere, templumque circumſidere deſtinabat. Sed acrior Dei ira Judaeos urgebat. Ipſi, ſuas ad poenas prompti, Romanos reſtinguendis exterioris templi incendiis operatos invadunt. Talem pervicaciam indignatus miles Romanus, tumultuariam Judaeorum manum ita perculit, ut fuga converſos in templum uſque inſequeretur. Tum ex iis unus, injuſſus, ſed divino quodam impetu actus, torre correpto, alteroque ſublevante milite, incenſas materias per feneſtram aream, unde ad cellas, circa templum poſitas, verſus Septemtrionem erat aditus, injicit. Ut flamma erupit, auditus Judaeorum, plus quam pereuntium, clamor. Re Tito, quietem captanti, propere nuntiata, e tentorio ſtatim proſilit; adcurrit, ut incendia comprimat: comitantur duces: e caſtris omnibus concurrit exercitus. Omnia inconditis clamoribus perſonant. Tito voce, manuque „incendium reſtingui" ſignificante, nemo

Digitized by Google

auribus oculisve competere. Victoribus & victis idem impetus. Illi ardent veteres in invisam gentem iras explere: accensi insuper plurima auri imagine, qua templum splendescit; majoremque opum vim intus latere rati. Hi non jam pro vita, pro fortunis, sed pro templo, pro Deo, mortem superbe provocant: quanto propius ad extrema venturi, tanto in divinae opis spem erectiores. Judaicis ergo funeribus Romana miscentur funera: templi atrium exundat sanguine: circum altare, in templi gradibus caedes innumerae.

XXXIX. Has inter strages, incendia spargunt Romani. Nondum tamen flagrabat templum; Titus, illud videndi cupidus, pugnantium manus aegre eluctatur: has cum belli ducibus egressus, intrat, adit penetrale, cuncta lustrat, famaque majora miratur: templum servari adhuc posse, ira mutuis caedibus exhausta, confisus. At militum unus, eum secutus, portae cardinibus ignes clam suppositos erat. Ubi fores templumque corripuere flammae, stupent Judaei: deinde duces, turbarumque auctores, resumptis animis, qua in superiorem urbem exitus, aufugiunt: ceteri, a consternatione in furorem versi, certique, pereunte templo, periri;

Digitized by Google

ultro ſuas in neces ruunt: alii in Romanorum gladios praecipites incumbere: alii, ne profano ferro caderent, ſe ipſi contrucidare: plurimi ſanctioribus (tanta genti ſuperſtitio) templi flammis ſe devovere, hac morte magis, quam egregio facinore, ovantes. In hoc morientium furore, una Tito cura, ne in foedos inhumanoſque cineres, ipſo invito, abeat victoria. Labor eſt cogere victos vivere, ſuiſque rebus parcere. At incaſſum. Undique gliſcunt incendia: templum exſuperant flammae: mons totus late collucet ignibus. Horrens maerenſque Titus diſcedit. Manet ad caedes duratus, theſauris inhians, miles: duplicatiſque Romanorum clamoribus, Judaeorum ululatibus, hauſtum incendio conſidit templum. Haec clades, genti ſuprema, contigit eo ipſo die, quo prius templum, majoris adhuc famae & opulentiae, a Babyloniis quondam incenſum ferebant. Inter ardentes templi ruinas poſita ſigna; peractiſque ſacris, Titus *imperator* conſalutatus eſt. Tanta autem a milite auri vis rapta, ut dimidia pretii parte vilius in Syria haberetur.

XL. Nondum tamen Judaici belli foeditatibus finis. Victore in gentis reliquiarum ſalutem intento, ignava ſacerdotum turba vi-

Digitized by Google

tam precari ausa est. Titum puduit hos templo superstites vivere, turpique morte damnati sunt. Vitae usura, ceteris omnibus oblata, & a ducibus Joanne ac Simone spreta, victoris iras provocavit, ac tandem urbi excidium adtulit. Succensa primum capta jam monumenta: domus quoque, fame enectorum cadaveribus squalidae, ignibus traditae. Meritas pervicacia poenas effugere Izatis regis filii fratresque, ac turba nobilium, qui simul Titi misericordiam oraverant. Tum structi aggeres adversus superiorem urbem, nomine Sion, locis editioribus, & munitissimis turribus, defensam. Sed quasi fatale esset Hierosolyma intestinis potius discordiis, quam hostium viribus, perire, ne ultimo quidem discrimine inita concordia, Idumaeis & Judaeis inter se dissidentibus. Titus, insita clementia, & nota ducum arte, discordiam auget, Idumaeis in deditionis spem receptis.

XLI. Cum ita ferverent Judaeorum odia, redintegratum obsidium. Amentes obsessorum duces, unicum, sed inexpugnabile, praesidium, turres indefensas deserunt; parsque urbis validissima, ne fuso quidem Romano sanguine, capta. Tantum urbis dedecus veteraque scelera universo occidio expiata:

Digitized by Google

domus, mutuis civium furoribus antea foedatae, novis cruentantur caedibus: dein ſparſa incendia; & abominanda tecta abolevere flammae, noctis obſcuro praevalidae. Sic ardentibus Hieroſolymis, inluxit dies ultimus, quarto Nonas Septembris. Haec fata fuere urbis, quae cum per annos bis mille centum ſeptuaginta ſeptem ſumma per Orientem claritate ſtetiſſet, nunc buſtum eſt.

XLII. Titus, urbis ruinas ingreſſus, & inexpugnabilem turrium vim admirans, "ſe quidem exercitus ducem, Deum autem victoriae auctorem fuiſſe" profeſſus eſt. Milites, caedis feſſos, juſſit "occidione abſtinere, ni forte, qui adhuc reſiſterent: duces, in cuniculis latitantes, quaeri: juvenes, forma & proceritate praeſtantes, reſervari triumpho: natu majores in Aegyptum ad metalla mitti". Lecti quoque plurimi, qui per theatra ferro beſtiiſque perirent: minores annis ſeptemdecim ſub corona venumdati. Vulgatum apud Judaeos, in hoc obſidio capta fuiſſe nonaginta ſeptem millia hominum; undecies centena millia occubuiſſe. Nihil autem urbis manſit, praeter tres turres, in victoriae monumentum relictas: ſimul ſervata pars muri occidentalis, cui impoſitum praeſidium;

Digitized by Google

praefectusque Terentius Rufus. Cetera omnia versa, aratroque foedata.

XLIII. Tum Titus, laudata, pro concione, militum virtute, strenuissimum quemque laudibus praemiisque attollit. Mox victrices legiones ita distribuit, ut decima in Judaea maneret, duodecima peteret Melitenen, quinta & quintadecima sibi praesto essent, donec in Aegyptum veniret. Deinde Caesaream discessit, Orientem lustraturus. Missus postea Lucilius Bassus, qui, quae in Judaea supererant, expugnaret. Capta Machaerunte, altera Judaeae arce, tota regio venumdata. Judaei autem jussi "singulis annis Jovi Capitolino binos denarios solvere". Caesaream autem, Romanis fidam, ducta colonia; primoque remissum capitis tributum; dein solum etiam immune factum. Emmaus in perennem victoriae memoriam Nicopolis appellata.

XLIV. Interea Vespasianus Alexandriam liquerat, non eadem, qua venerat, fama. Querebantur Alexandrini "ignotam Principi liberalitatem: prisca renovari vectigalia: nova addi: hastae subjici regia monumenta: sacra ipsa in fisci partes trahi". Haec occultis primum, dein publicis, conviciis famosisque carminibus arguebat verbosa dicteriisque sue-

Digitized by Google

ta gens: ausa etiam Vespasianum *Cybiosactem* cognominare. Is, contumeliae insolens, & facili in iras Principum natura, convicium in tributum vertit; graviores poenas repetiturus, ni motos patris animos Titus sedasset.

XLV. Data licet venia, Alexandriae infensus, Romam profectus est. Reipublicae egregium donum, renascentis libertatis augurium, ante erat elargitus. Majestatis enim damnatos Neronis saevitia sequentiumve Principum calamitate, quotquot superstites, absolverat; & extenta ultra fata aequitate, famam mortuis restituerat. Tanto decore supra victorias praefulgens, Brundisium venit, ubi a Muciano Urbisque primoribus publicos inter plausus exceptus est. At Beneventum progressus, Domitianum reperit, solutioris libidinis, dum pater aberat, tum vitia simplicitatis stultitiaeve imitamine excusantem. Remedio pariter ac malo anxius Vespasianus, domesticum dolorem, ut decebat, intus condidit, ne privata publicis anteferre videretur. Laetus ergo, populis in novi ac diu desiderati Principis conspectum venerationemque undique occurrentibus, Romam perrexit. Ubi eo ventum, a pietate orsus,

Digitized by Google

erſus, coepta Capitolii aedificia inviſit; &, ut operas incenderet, ipſe, elatis collo ſuo ruderibus, in partem laboris ſe immiſit, omnibus, ut quiſque dignitate & fortuna praecipuus, Principis exemplum certatim aemulantibus.

XLVI. Eadem in Aegypto adverſus Titum ſtudia. Luſtrato Oriente Zeugma uſque, acceptaque a Vologeſo corona aurea, Hieroſolyma reviſerat; dein, urbis ruinas miſeratus, Memphim venit. Gens, religionibus dedita, per has gratificari Principibus ſolet. Igitur ut Veſpaſianum miraculis auxerat Alexandria, ſic Memphis Titum Apidis conſecratione (quod ſummum eſt apud eos ſacrum) evectum voluit. Itaque, priſco de more, Apis, cum praeſcripta legibus ſpatia vitae impleviſſet, ſacro fonte demerſus eſt. Alter, cui divina inerant macularum inſignia, publico cum luctu quaeſitus repertuſque, & Memphim ingenti pompa deductus. Ibi caerimoniis rite paratis, totaque gente ad ſpectaculum excita, conſecrationem orſa eſt longa ſacerdotum turba: Titus adſtitit, evinctus caput diademate, uti regibus olim fuerat ſolitum. Sacer Apis ſuas in aedes ductus, unde auguria populorum, & privatis reſponſa.

Digitized by Google

Haec visa Aegyptiis mirae religionis, sed e quibus orta in Urbe invidiae materia: quod suo loco dicetur anno sequente.

AN. V. C. DCCCXXIV. AER. CHR. 71.

XLVII. Coepit hic annus fastis nominibus Vespasiani Augusti III & Cocceii Nervae, consulum, quos imperii Romani fortuna conjunxisse videtur, ut ille imperare doceret, hic discere. Hispaniae, unde primi armorum motus eruperant, jus Latii tributum, ne quid maneret veteris discordiae. Post Vespasianus, externorum civiliumque bellorum victor, ad urbana negotia totum se convertit: rem quidem publicam luxu perditam circumspexit, nulla patriae caritate, sola lucri privatique commodi cupidine flagrantem. At gnarus a Principibus ad populos vitia descendisse; invidiosum vanumque fore, si, vigentibus Principum vitiis, publicam censuram tentaret, ab ipso Principe emendandi initium fecit. Circumcisis igitur principatus libidinibus, quae usu in dignitatis naturam ornamentave cesserant, id maxime ex auctoritate usurpavit, quo ipse foret legum praesidium & exemplum.

XLVIII. Itaque, ut popularis fieret, rarus in palatio, frequens in hortis Sallustia-

Digitized by Google

lis: nec fores a ſatellitibus obſeſſae, ſed facilis cuivis aditus. Amoti etiam armorum crutatores, quorum uſus ſub prioribus Principibus, & inter civilium diſcordiarum motus invaluerat. Conſcientia tutus, ceteris ecuritatem addidit, ſublatis majeſtatis criminibus. In hac publica tranquillitate, principatus munia obire occœpit: maturius ſemper, ac de nocte vigil, epiſtolas officiorumque omnium breviaria perlegere: mox amicos admittere, & inter ſalutantium obſequia aleare ipſe ſe & amicire: poſt in ſenatu e republica conſultare, vel in foro jus dicere: remiſſo inde paullulum animo, facilis iviliſque cum ſenatoribus aliiſque, ſeu domi, eu foris cena; quam ſuper jocoſa & indulens hilaritas. Hic communis vitae tenor.

XLIX. Eadem, & anxia magis, erga iberos cura, cum reipublicae amore, tum lomus gloria. Paternum enim animum angebat Domitianus, praeferoce indole, & in mnes fortunae ſuae libidines praeceps: eum ater privatim objurgationibus, in publico onoribus ad meliora revocabat. Titus, paris deliciae, ſpes columenque imperii; ipſe amen inquietae etiam ſollicitudinis cauſa, non ſuſpicaci Principis ingenio (id enim vitii

Digitized by Google

a generosa mente aberat) sed recentium adhuc reipublicae procellarum memoria, & occultis sermonibus: "Titi fidem vacillare: favere legiones: nec religione, sed explorandi animos causa, inter Apidis sacra, in maxima Aegypti celebritate, regni cupidum, regio usum diademate". Titus, haec in Urbe jactitari impatiens, quod conscientia integer, festinans Romam proficiscitur. Legiones, quae Hierosolyma, eo duce, ceperant, "aut remaneret, aut secum omnes pariter abduceret" frustra oravere: quinta in Moesiam, quintadecima in Pannoniam remissae. Argis tantum substitit Titus, Apollonium, sapientiae fama tunc insignem, visurus; & ut ex ejus praeceptis ad virtutes, quae Principis filium decent, se formaret. Apollonius, certus non volucribus verbis, sed multa exemplorum documentorumque experientia Principes instituí, consulenti respondit: "Hostibus bello superatis, patrem virtutibus superat: Demetrium philosophum auscultа". Brevi monito, in virtutes secundo, imbutus, cursum celeravit; & patri, qui obviam proceserat, inopinus occurrit: salutansque, sed rumorum memor, "veni", inquit, "pater, veni". Simul ruunt in amplexus; pater incertum an filius probata fide laetior.

Digitized by Google

L. Urbs totaque Italia pro Titi reditu in laetitiam effusa. Senatus duplicem triumphum Principi & Caesari decrevit. At ipsi unico contenti, ne inani impensa gravaretur respublica. Tum primum ab Urbe condita pater filiusque visi in eadem triumphali pompa. At, ut nova, sic magnifica fuere triumphi decora. Plurima adhuc nocte, milites fuetere prope Isidis templum. Ibi Vespasianus Tituſque noctem egerant: primo diluculo, caput lauro redimiti, & purpureis induti vestibus, in Octaviae porticum processerunt: eos senatus, praecipuus quisque magistratuum, & equester ordo excepit. Ut in tribunali eburneisque sellis consedere, laureati & sericati milites solitis adclamationibus imperatorum virtutes attollunt: mox, facto silentio, Vespasianus, velato capite, sollemnes preces concipit; idem quoque precatus est Titus. Tum Vespasianus, adsistentem concionem paucis adlocutus, milites ad paratum prandium dimittit. Ipse cum filio ad triumphalem portam regressus: ibi, post levem cibum, triumphales vestes induunt; caesisque ante deos, ad portam adstantes, victimis, coepit pompa, adparatu maxima.

Digitized by Google

LI. In hac enim imperii pace, ſubacti orbis opes, artium miracula, naturae rara quaeque oſtentata: praevectae quoque immenſae purpurearum Babylonicave arte pictarum veſtium, gemmarum, in coronas aliaque id genus ornamenta compoſitarum, ſtrues: praefulgebant deorum ſimulacra, magnitudine & arte ſtupenda; ipſaque animalia ſuis quaeque naturis expreſſa. Cuncta autem auro, argento, ebore ſplendida: bajuli quoque purpureis aureiſque radiabant indumentis: ipſa captivorum deformitas ornamentorum varietate inluſtrata. Tantas inter opes conſpicuae in primis immanes ferculorum moles, in tres quatuorque tabulatorum ordines exſtructae: inde patebant intuentium oculis mira arte expreſſa ſingula Judaici belli eventa, proelia, transfugia, captivorum agmina, urbium, caſtellorum oppugnationes, tectorum excidia, templi incendia, flumina, non in virentes, ſed in torridos campos, immiſſa: in ſingulis autem ferculis oſtentui erant Judaeorum duces, eodem loci corporiſque habitu, quo fuerant capti: geſtatae quoque naves plurimae. Poſt viſebantur templi monumenta, quae inter eminebat menſa aurea, aureum candelabrum, & ultimum ſpolium,

Digitized by Google

Judaica lex. Inde ſequebantur longo ordine victoriarum tituli: mox triumphales Veſpaſiani Titique currus, quibus adequitabat Domitianus conſul. Circumducta per theatra pompa, ut irruenti undique plebi fieret ſatis, ventum ad Capitolium. Tum ſubſtitit pompa: praecipuus belli dux, Simon, laqueo in clivum, foro imminentem, tractus, virgiſque caeſus, interfectus eſt. Sic expiato ſcelere, victoribus adclamatum: caeſae victimae; & imperatores in Jovis Capitolini gremio lauream poſuere, neglecto victoriae cognomento. Inde publicos inter plauſus in palatium diſceſſere: reliquum diei laetitiae datum, tota Urbe in epulas effuſa.

LII. Tum ſilentibus bellis, cluſus eſt Janus. Ut pacis, qualis a divi Auguſti temporibus haud contigerat, monumentum exſtaret, Veſpaſianus Pacis templum, maximum pulcherrimumque Urbis opus, aedificavit: ibi, praeter cetera ornamenta, opes vaſaque templi Hieroſolymitani dicata: lex, velaque in palatio repoſita. Cum ita factum ſatis religionibus, in morum emendationem converſa ſunt ſtudia, conſpirantibus Principis Titique votis, ipſa Urbe vitiorum mole feſſa.

Digitized by Google

APPENDIX CHRONOLOGICA

Auctore GABRIELE BROTIER

HACTENVS C. Cornelium Tacitum secutus, Annalium libros presse, fusius quintum Historiarum librum supplementis explevi. Eam autem Historiarum immensitatem, qua Tacitus unius ferme tantum anni res quinque libris diffudit, nec juvat continuare, nec licet. Pleraque enim veterum scriptorum monumenta periere; & quae supersunt, ad tantam amplitudinem sufficere minime valent. Praeterea nec nostri, nec lectorum, otii est, adeo remota tempora longius narrare, aut legere. At, ut brevitati simul & utilitati publicae consulam, Vespasiani, Titi, Domitiani, ac Nervae res, quas cognoscere interest, in Appendice Chronologica summatim complectar. Et ne in hac Caesarum historia desit exemplum optimi Principis, addidero res Trajani, Latinis Augustae historiae scriptoribus intactas, aeterna tamen memoria dignissimas, quibusque vetus aetas nihil habet ad splendorem illustrius, ad documentum praestantius. Haec igitur nostra Appendix florentissimi adhuc imperii Romani annos quadraginta quinque continet, ab anno nempe U. C. DCCCXXV, Jesu Christi 72; ad annum Urbis conditae DCCCLXX, Jesu Christi 117.

Digitized by Google

VESPASIANVS

AN. V. C. DCCCXXV. AER. CHR. 72.

VESPASIANO Aug. IV, Tito Caesare II consulibus. Invaluerant duo praecipua bellorum civilium mala, legum oblivio, & adversus dominantes audacia. In hac imperii pace, utrique subvenit Vespasianus. Urbi leges, regnatrici domui munimenta addita. Quo praecaverentur militares motus, praetoriarum cohortium praefecturam Titus accepit: magnum equestris ordinis ornamentum, & paterni imperii tutamentum. Coercita autem feminarum licentia, poena ancillas fore, quae se alieno servo jungerent. Repressa quoque creditorum saevitia; & interdictum, ne filiorum familias feneratoribus exigendi crediti jus umquam esset, ne post patrum quidem mortem. Simul reficiebatur pulcherrimum ac vetustissimum imperii monumentum. Nempe tria millia aerearum tabularum, quibus continebantur, paene ab exordio Urbis, senatusconsulta, plebiscita de societate, foedere, privilegio cuicumque concessis, quae, incenso Capitolio, conflagrave-

Digitized by Google

rant, undique inveſtigatis exemplaribus, repoſita. Ad conciliandos populi animos datum a Tito congiarium.

Haec popularitatis ſtudia averſabatur Helvidius Priſcus, Thraſeae gener, & ſeverioris philoſophiae placita ſectatus. Integrae libertatis cupitor, querebatur publicum ſervitium civilibus Veſpaſiani ſtudiis certius, quam priorum Principum vitiis, induci. Inde acerbior quaevis principatus acta carpebat, ſententiarum quoque, quas Princeps in ſenatu adferret, aſſiduus obtrectator. Veſpaſianus tales ſui contumelias diu tulit, Helvidii integritatem, & Thraſeae, cui ipſe amicus fuerat, virtutem reveritus. Ne tamen infringeretur auctoritas, Helvidium monuit, ut vel contumaciam exueret, vel ſileret. Contra ille in dies pervicacior & infenſior, primum exſilio, dein morte, vel invito Principe, multatus eſt. Philoſophi, ut procacia ingenia, Urbe ſubmoti. Muſonius, favore Muciani, commune diſcrimen ſolus effugit. Demetrius & Hoſtilius, majoris petulantiae, in inſulas relegati.

Interim Petilius Cerialis, confecto bello Germanico, in Britanniam fuerat miſſus. Deceſſore ſuo Vettio Bolano validior, terrorem

Digitized by Google

ſtatim intulit, Brigantum civitatem adgreſſus. Multa proelia, & aliquando non incruenta: magnam Brigantum partem aut victoria amplexus eſt, aut bello.

AN. V. C. DCCCXXVI. AER. CHR. 73.

Fl. Domitiano Caeſare II, M. Valerio Meſſalino conſulibus, ut creſceret favor, congiarium a Domitiano datum. In eo viſi ſenes, qui ſe a divo Auguſto ſemel atque iterum accepiſſe congiarium narrabant. Grandaevos alios multos prodidit cenſus, qui tum peragebatur; & nè ſingulis moremur, res eſt confeſſa, in regione Italiae octava centenum annorum cenſos fuiſſe homines LIV. centenum denum homines XIV. centenum vicenum quinum homines duos, centenum tricenum homines quatuor, centenum tricenum quinum aut ſeptenum totidem, centenum quadragenum homines tres. Id tanto curioſius obſervatum, quod mortalitas in longi aevi ſpes ſit ſemper intenta, & aetas Principis ad ſenium vergeret.

Placuit in eadem cenſura explorari magnitudinem Urbis, quam ex tantulis initiis virtus Romana in immenſum extulerat. Compertum moenia ejus collegiſſe ambitu paſſ. XIII M CC. Ejuſdem ſpatium menſura cur-

Digitized by Google

rente a milliario in capite Romani fori ſtatuto ad ſingulas portas numero triginta ſeptem effeciſſe paſſ. per directum XXX M DCCLXV. Ad extrema vero tectorum cum caſtris praetoriis ab eodem milliario, per vicos omnium viarum numerata fuiſſe paullo amplius ſeptuaginta millia paſſuum. Quo ſi quis altitudinem tectorum addat, dignam profecto aeſtimationem concipiat, fateaturque nullius urbis magnitudinem in toto orbe potuiſſe ei comparari. Ne magnificentia ulli cederet, advectae undique opes exterae, novaque in dies attollebantur monumenta.

Haec augebat Veſpaſianus, refectis, quae labarent, tacito quidem ſuo nomine, ſed ſervata veterum inſcriptionum gloria, cum ipſe additis novis ſplendidiſſimiſque operibus ſatis inclareſceret. Atque ut Urbis ſplendori ex civium moribus ac dignitate accederet decus, ſenatum & equitem recenſuit: ſummoti indigniſſimus quiſque; & honeſtiſſimi Italicorum ac provincialium adlecti. Ita ampliſſimos ordines, ſub prioribus Principibus caede varia exhauſtos, veterive contaminatos negligentia, purgavit ſupplevitque, ut, cum ducentas gentes in ſenatu vix reperiſſet, mille compoſuerit. Et ne paupertas probro eſſet,

Digitized by Google

consulares inopes quingenis sestertiis annuis sustentavit.

AN. V. C. DCCCXXVII. AER. CHR. 74.

Vespasiano Augusto V, Tito Caesare III consulibus. Peracto censu, conditum est lustrum imperii supremum. Tum Princeps Achaiam, Lyciam, Rhodum, Byzantium, Samum, Tracheam, Ciliciam & Commagenem in provinciarum formam redegit. Succensuit quidem Apollonius; & acrius, quam philosophum decebat: Neronem laudans, quod libertatem Graecis dedisset, Vespasianum, qui eam tolleret, literis increpavit. At ipse postea edoctus quas curas pro republica recte & consulte ordinanda Princeps sustineret, posuit iras, & in publicae laetitiae partem laudesque venit.

Una tunc femina, Caenis nomine, famam Vespasiani inumbrabat. Antoniae quondam liberta, fidem ita probaverat, ut secretioribus adhibita, jussaque nuntiare Tiberio, quae adversus eum pararet Sejanus: post Vespasiani voluptatibus, antequam Flaviam Domitillam uxorem duceret, innexa. Is, privatus adhuc, amissa uxore, Caenidem in contubernium revocavit, atque etiam Princeps paene justae uxoris loco habuit. Caenis in

Digitized by Google

id faſtigium evecta, nihilque in auctoritate magnificum, niſi immenſas opes, reputans, fortunam ad lucra vertit: provinciarum & exercituum praefecturas, magiſtratus, ſacerdotia, ipſaque Principis reſponſa venalia proponebat. Tanta foeditas laudes Principis obruiſſet, ni inexplebilem feminae cupidinem finiſſet mors. Tum ſi quid adhuc obtrectationis ex tributorum vectigaliumque magnitudine ſupererat, Veſpaſianus publica neceſſitate & principalibus impenſis, quae in Urbis totiuſque imperii decus ac magnificentiam unice cederent, fuit excuſatus.

Hoc anno feliciter ſe exeruit agricolarum induſtria. Cum enim praegelidae hiemis acerbitate ſpes tota ſegetum interiiſſet, reperti in agro Treverico, qui adverſis temporum obluctati, menſe Martio campos reſarrientes novam ſementem telluri credidere. Natura, labore vinci laeta, agreſtem patientiam uberrimis meſſibus penſavit.

AN. V. C. DCCCXXVIII. AER. CHR. 75.

Veſpaſiano Auguſto VI, Tito Caeſare IV conſulibus, templum Pacis, quo nullum in Urbe fuit majus pulchriuſque, dicatum eſt: ibi, ceteras inter opes undique terrarum advectas, poſita templi Hieroſolymitani ſpolia.

Digitized by Google

Simul attollebatur ingens magnificentiae & luxuriae miraculum, amphitheatrum, divo Auguſto quondam meditatum, tranquillioribus ſervatum temporibus. Architectura, libere exſpatiata, & undequaque ſpectabilis, ſuas omnes opes explicuit. Admirationem auxit in hujus monumenti decora tractum coloſſeum Neronis ſimulacrum, ſed damnatis ejus ſceleribus, venerationi ſolis dicatum.

Hac operum audacia Urbs ſe priſcis Orientis & Aegypti prodigiis aequabat, cum Veſpaſianum ad belli curas retrahere voluit Vologeſes, Parthorum rex. Is nuntiabat "Alanos, barbaram gentem, fugatis regibus Pacoro & Tiridate, Mediam, Armeniamque populari: Parthis jam imminere: inde Romanorum agros incurſaturos". "Adverſus communem hoſtem arma ſociari: alterutrum de Veſpaſiani filiis ducem belli mitti" flagitabat. Deſignabaturque Domitianus, & juvenili impetu, & fraternae gloriae aemulatu in haec praeceps. At Veſpaſianus, filii naturam, dominationis avidam, reveritus, laetuſque Arſacidarum faſtigium barbara vi imminui, hanc belli aleam detrectavit; praetexens Romanos, ab externis domeſticiſque proeliis recentiores, novis periculis non objectandos.

Digitized by Google

Iratus Vologeſes ſuperbas mittit epiſtolas, quibus inſcripſerat: "Arſaces rex regum Flavio Veſpaſiano". Modeſtiore reſponſo, quod hujuſmodi fuit, "Arſaci, regi regum, Fl. Veſpaſianus", adeo irritata Vologeſis ferocia, ut Syriam occupare ſtatim pararet. Adverſus barbarum impetum reſtitit interrita Trajani, Syriae praefidis, conſtantia; & virtus jam vivida ejus filii, qui puer admodum in maximas ſpes adoleſcebat. Parthorum ſuperbia metu ſolo cohibita, Vologeſes in pacem coactus eſt. Decreta Trajano, qui hoc decus antiquis natalibus addidit, triumphalia ornamenta; editique ludi, quos fere funeſtavit Cynicorum malignitas.

Ii pulſi, ut philoſophorum vulgus, clam in Urbem irrepſerant: publicis moribus tanto iratiores, quanto diutius coercita maledicentia, rebantur ſe opportunam populum Romanum infectandi occaſionem nactos. Diogenes, ut nomine, ſic re, veterem famam aemulatus, in plebem, ſpectaculis intentam, conviciis invehitur. Effrena procacitas verberibus multata. Heras, ſupplicio invitatus magis, quam territus, atrocius criminari audet. Iterata licentia rei capite expiata.

Silentibus bellis, in hac pacis tranquillitate,

Digitized by Google

tate, & cum ſtudia liberalitate Principis refoverentur, juvit expendere, quomodo Urbs, quae tot eminentium oratorum ingeniis gloriaque effloruiſſet, ea laude ita tunc eſſet orbata, ut vix nomen ipſum oratoris retineret. Hac quidem de re diſſeruere M. Aper, Julius Secundus, Curiatius Maternus & Vipſtanius Meſſala, ingenii fama tum inſignes. Singula rei momenta rite perpenſa, & quae olim ſtudia alerent, quae deinde vel ipſa ingenia peſſum dederint tractata. In confeſſo tamen fuit, eloquentiam alumnam eſſe licentiae ac libertatis: nullos umquam fuiſſe oratores in iis civitatibus, quae ſeveriſſimis legibus uterentur: bono ſaeculi ſui utendum: ſapientiſſimi uniuſque Principis pacem contumaci arrogantique eloquentia meliorem eſſe atque utiliorem.

AN. V. C. DCCCXXIX. AER. CHR. 76.

Veſpaſiano Auguſto VII, Tito Caeſare V conſulibus. Domitianus ab externis bellis hactenis retractus, ne vel ſucceſſu elatus, vel Orientis ſocietate audax, fortunam praeſumeret, adverſus Sarmatas miſſus eſt, ex quis gloriae ſpes, nullus novarum rerum metus. Recepit ſigna ante capta, victorque in Urbem rediit.

Digitized by Google

Interim vifa Titi virtus elangueſcere. Ot
tamen fallebat ſtudiis; & de Acontia, qua
hoc anno adparuit, praeclaro carmine pe
ſcripſit. At haec leviora adverſus animu
juventutis fervore, & novae fortunae licen
tia aeſtuantem. Parta quidem bellis glori
diu fuit gliſcentibus vitiis velamen. Erupe
tandem luxu, libidine, & impotentiori i
dies amore Berenices, quae non modo Ro
mam venerat, & in palatium fuerat recepta
ſed & ei Titus nuptias pollicitus ferebatu
Urbs, barbarum dedecus exoſa, verebatu
adhuc, ne cetera Neronianae aulae mala re
dirent. Tum enim Titus ad mediam nocte
comeſſationes cum profuſiſſimo quoque fami
liarium extendebat; inter exoletorum & ſpa
donum greges frequens. Foeda quoque ra
pacitate conſtabat eum in cognitionibus pa
tris nundinari praemiarique ſolitum. Invi
& ſaevitia, cum ſuſpectum quemque, & op
poſitum ſibi, violenter opprimeret.

Haec in majus ferebantur, vel ipſis patri
virtutibus, qui nec ſuſpicione, nec metu a
perniciem cujuſquam compulſus eſt: imm
monentibus amicis, cavendum eſſe Metiu
Pompoſianum, quod vulgo crederetur gen
ſim habere imperatoriam, conſulem eum fe

Digitized by Google

uit, ſpondens "quandoque beneficii memorem futurum". Ea tamen haud perinde fuere in Tito Caeſare naturae vitia, quam morbida luxuriantis fortunae tabes, quae, optima ejus indole, in melius poſt ſuſceptum principatum ſtatim ceſſit, ut mox ſumus dicturi. Hadrianus, poſtea rerum potiturus, hoc anno Romae natus eſt IX Kalendas Februarias.

AN. V. C. DCCCXXX. AER. CHR. 77.

Flavio Veſpaſiano VIII, Tito Caeſare VI conſulibus, annus, ut civilibus rebus inturbidus, ita caeli inclementia fuit inſignis. Notatum eſt, papilionum proventum ter repetito frigore fuiſſe exſtinctum, advenaſque volucres ad VI Kalendas Februarii ſpem veris adtuliſſe, mox ſaeviſſima hieme conflictatas. Quod autem luctuoſius, carbunculus, peculiare olim Narbonenſis provinciae, malum, qui L. Paullo & Q. Marcio cenſoribus primum in Italiam venerat, hoc anno foede ſaeviit, duoſque conſulares exanimavit, Julium Rufum & C. Laecanium Baſſum: illum medicorum inſcientia ſectum: hunc, pollice laevae manus avulſo. acu a ſemetipſo, tam parvo vulnere, ut vix cerni poſſet.

His acerbitatibus cum Urbs eſſet intenta, C. Plinius, ob ſtudiorum claritudinem Ve-

Digitized by Google

ſpaſiano familiaris, naturae hiſtoriarum tri ginta ſeptem libros edidit; opus diffuſum eruditum, nec minus varium, quam ipſan naturam: quod utinam majore delectu, mi nori credulitate fuiſſet collectum, nec foeda tum inſanabili librariorum imperitia, aut in curia. In hoc tamen ſuo ſqualore, maximum humani ingenii, naturae, atque artis promptuarium ſemper habebitur.

Cn. Julius Agricola, cum Veſpaſianus ſenatum lectiſſimis viris ſuppleret, inter patricios adſcitus, dein, egregie adminiſtrata paene per triennium Aquitania provincia laudem adſecutus, in Urbem revocatus eſt, ut ſuffectus foret conſul. Fama quoque erat, provinciam ei Britanniam deſtinari. Ibi Julius Frontinus, Petilio Ceriali, deceſſori ſuo, quem ſupra memoravimus, haud impar, validam & pugnacem Silurum gentem ſubegerat; ſuper virtutem hoſtium, locorum quoque difficultates eluctatus. Saborenſibus in Hiſpania permiſſum, ut oppidum ſub Principis nomine exſtruerent.

AN. V. C. DCCCXXXI. AER. CHR. 78.

L. Ceionio Commodo, Decimo Novio Priſco conſulibus, Veſpaſiani clementia, ve ſua inter pericula hactenus illaeſa, inſolit

Digitized by Google

casu est infracta; quem ut exponam, res altius repetenda. Julius Sabinus, apud Gallos opibus praecipuus, & falsa divi Julii stirpe vanus, Caesarem se salutari jusserat. Sequanos, Romanis fidos, bello provocare ausus, uti jam supra relatum est. Contra fuit fortuna: ipse cum popularibus suis Lingonibus fusus. Captivos, maxime duces, & Sabino intimos, manebant supplicia, rebellionis poena. Multi aut fuga, aut voluntaria morte, infamiae se subduxere. Sabinus, amore uxoris suae Eponinae, nec fugam, nec mortem tentare sustinuit; at arte usus est, ut famam exitii sui vulgaret. Nempe concessit in villam, in qua sibi certum esse vitam finire simulat; ideoque dimissis servis, duos tantum libertos sibi fidissimos retinet. Iis secreti conscii, subterraneam specum, condendis thesauris clam olim paratam, subit: mox incensa villa, Martialem, e duobus libertis alterum, mittit, qui Eponinae nuntiet, maritum veneno occubuisse, ejusque corpus flammis haustum: certus, quanto atrocior foret uxoris luctus, tanto citiorem manifestioremque fore mortis suae fidem.

Eponina, luctu amens, tres dies totidemque noctes muliebribus lamentis & ejulatu

Digitized by Google

bus absumpserat, cum Sabinus, veritus ne longior tristitia dilectam uxorem obrueret, Martialem remittit, qui maritum vivere, artem locumque secessus doceat, moneat tamen, ut per doloris imitamenta adultam viduitatis famam nutriat. Eponina, quo re laetior, eo specie tristior, lacrimas, questus, ceteraque lugentium atra ingeminat; ac tandem obscuro noctis usa, in mariti amplexus ruit; adloquioque recreata, domum repetit, ad notas artes paratior. Sic exacti septem menses, cum spes illuxit, esse in Urbe veniae locum. Huc statim proficiscitur cum marito, quem mutato habitu, tonso capillo, galericuloque capiti adaptato, ita componit, ut gratiae, si sit locus, non injuriae, si metus ingrueret, pateat. Ibi, ut miseris plerumque evenit, comperto laeta ab amicis temere promissa, tristia imminere, in Gallias redit, & maritum sua in specu recondit. Saevientis fati solatia fuere, mutuus amor, meliorum temporum vota, grataque vel summa in miseria fecunditas. Plurima enim arte & uterum & parturientis necessitates occultans, Eponina aucta est duobus liberis virilis sexus, qui in tanto cariores spes adolevere, quanto calamitosior erat parentum fortuna.

Digitized by Google

Sabinus his artibus latebrisque vitam per novem annos traduxerat, cum tandem eum vivere auditum est. Statim ipse ejusque uxor ac liberi comprehensi, Romamque vecti, ante Vespasianum sistere se jussi sunt. Viso Principe, Sabinus obmutuit, rebellionis flagitio pressus. Eponina, sexu, amore, conscientia, animosior, rumpit silentia, preces intendit, testatur "se peperisse, ut plures haberet, qui efflagitarent veniam". Vespasianus, insontes liberos intuens, illacrimavit; iisque datum vivere. At Sabinus lege majestatis, non illa nova & sub prioribus Principibus reperta, sed vetere, qua perduelles puniuntur, mortis damnatus est. Tracta quoque in mariti ruinam Eponina, forte consiliorum societate, & virilibus curis nocens visa. Nulla jam spe vitae, cassisque, quos per tot annos sustinuerat, laboribus, ferox femina preces in iras vertit. Vespasianoque insultans, profitetur "vitam morte sibi libenter mutari: se feliciorem vel in obscuris terrae visceribus, quam ipsum in principatus splendore, vixisse". Multi, feminae fortitudinem mirati, ejus malis indoluere: vulgus autem, cuncta, maxime, quae Principes spectant, interpretari solitum, mox secutam Vespasiani, haud lentam

Digitized by Google

Titi mortem, dein Domitiani scelera caedemque, & totius Flaviae gentis excidium, hujus supplicii poenas fuisse, ut fero, sic adseveranter, jactitavit.

Haec cum in Urbe diversis rumoribus agitarentur, laetiores de Britannia nuntii venere. Julius Agricola, quamquam media jam aestate in insulam transgressus, Ordovicum civitatem, quod haud multo ante ejus adventum alam, in suis finibus agentem, obtrivisset, ingenti clade adfecerat; caesaque prope universa gente, Monam insulam, a Suetonio Paullino improspere olim tentatam, petiit, hostesque ita terruit, ut petita pace, deditaque insula, clarus ac magnus statim haberetur. Ipse, ne laureatis quidem gesta prosecutus, dissimulatione famae famam auxit. Tres urbes in Cypro insula terrae motu corruere.

AN. V. C. DCCCXXXII. AER. CHR. 79.

Vespasianus Augustus IX, Titus Caesar VII consules, continuis ferme magistratibus imperium firmare intendebant. Haec dominationis studia Alienum Caecinam & Eprium Marcellum in novas res impulere. Compertis consiliis, Titus, patris caritate suoque periculo in vindictam praeceps, Caecinam

Digitized by Google

vocatum ad cenam, ac vixdum e triclinio egreſſum confodi juſſit: ſane urgente diſcrimine, cum etiam chirographum ejus praeparatae apud milites conjurationis deprehendiſſet. Hunc finem habuit Caecina, ante Vitellii proditor. Marcellus autem, a ſenatu interrogatus damnatuſque, ſectis novacula faucibus, vitam multis ſub Nerone foedatam flagitiis, nunc perfidis adverſus Principem amicum conſiliis infamem finivit.

Tum quidem fuit ſecuritas. At Principis valetudo motiunculis levibus in Campania tentari coepit: vulgata ſtatim portenta: "mauſoleum Caeſarum derepente patuiſſe: crinitam ſtellam in caelo viſam". Haec quidem irriſit Princeps: "alterum ad Juniam Calvinam e gente Auguſti pertinere" dictitans: "alterum ad Parthorum regem, qui capillatus eſſet". In Urbem tamen regreſſus, Cutilias ac Reatina rura, ubi aeſtivare quotannis ſolebat, petiit. Hic, ſuper urgentem valetudinem, creberrimo frigidae aquae uſu inteſtina vitiavit. Feſſo tunc corpore, & imminente vitae periculo, caeleſtibus honoribus, quos adulatione Romana & Titi filii ſui induſtria proximos praeſentiſcebat, illudens, "ut", inquit, "puto, deus fio". Interim

Digitized by Google

ad imperatoria munia intentus, ipsas etiam legationes audiebat cubans. Has inter curas, alvus repente usque ad defectionem soluta. Ne mors inertem cubantemque opprimeret, consuluit; "ratus Imperatorem stantem mori oportere". Dum consurgit, ac nititur, inter manus sublevantium exstinctus est IX Kalendas Julii, annum agens aetatis sexagesimum ac nonum, superque mensem ac diem septimum: Princeps animi magnitudine, consiliorum prudentia, parcimonia simul & magnificentia super priorum Principum laudes evectus: sequentibus exemplo fuit & incitamento. Primus Caesarum vitam fato implevit.

TITVS.

QVOD quoque in imperio novum, filius patri succesſit. Titus enim Imperator consalutatus est; promissumque militi donativum: fratre iras non occultante, & diu cunctato, an duplum donativum donaret. Inde assiduae ejus querelae, relictum se participem imperii, sed fraudem testamento adhibitam. Quae odia, dum viveret pater, clam exercita, tum manifesta, crevere semper, donec imperio potitus est. Vespasiano autem fu-

Digitized by Google

nus pro more ductum; exin caelestes honores decreti.

Titus, summam rerum adeptus, nihil retinuit pristinae luxuriae, sed amicos elegit optimos: Berenice in Judaeam regredi jussa: dimissi delicatorum gratissimi. Et Princeps totus patuit virtutibus. Beneficia, a superioribus concessa Principibus, quae ex instituto Tiberii omnes Caesares aliter rata non habuerant, quam si eadem iisdem & ipsi tribuissent, primus praeterita omnia uno confirmavit edicto, nec a se peti passus. Par ejus in ceteros comitas, liberalitasque, & obstinata cura, ne quem umquam sine spe dimitteret. Admonentibus domesticis, quasi plura polliceretur, quam praestare posset: "Non oportere", respondit, "quemquam a sermone Principis tristem discedere". Et quondam recordatus super cenam, quod nihil cuiquam toto die praestitisset, memorabilem vocem edidit: "Amici, diem perdidi".

Ne quid etiam paternae labis haereret, cum Vespasianus & pecuniae visus fuisset cupidior, & deceptus in insontium neces consensisset, ipse ne concessas quidem ac solitas collationes recepit; pontificatum quoque maximum ideo, "se" professus "recipere", ut

Digitized by Google

puras ſervaret manus": nec auctor poſthac cujuſquam necis, nec conſcius, quamvis interdum ulciſcendi cauſa non deeſſet, ſed "periturum ſe potius, quam perditurum" adjuravit. De majeſtatis crimine numquam egit, neque agi permiſit, dictitans "neque injuriam neque contumeliam ſibi fieri poſſe, quod nihil reprehenſione dignum patraret: falſa, ſi qua ſpargerentur, ſibi curae non eſſe". Tum omnes Titum mirari, celebrare; iis vero, qui eum, nondum Principem, timuiſſent, pudor.

Dum in hac admiratione venerationeque Urbs adquieſcebat, luctum adtulit atrox & continuus tremor terrae, quem ſecuta eſt horrenda Veſuvii montis conflagratio. Pulcherrima Campaniae ora miſere foedata: *ob* rutae duae urbes Herculanium & Pompeii: vaſta hominum ſtrages, quos inter periere Agrippa ejuſque mater Druſilla. At, ſtudiorum fama, mors C. Plinii, quem ſupra memoravimus, fuit inſignitior. Is forte tum Miſeni erat, claſſemque imperio praeſens regebat. Miraculo nubis, quae in ſimilitudinem formamque arboris e ſummo Veſuvio primum viſa erumpere, excitus, huc propegat, noſcendae naturae avidus. Dum pergit,

Digitized by Google

gliscit periculum, cineribus, pumicibus, ambustisque lapidibus late depluentibus. Interritus, inter incendia, montem petit: sulphureis flammis crassioreque caligine spiritu obstructo, exanimatus est. Tanta autem fuit ignium vis, ut cineres in Africam, Syriam & Aegyptum fuisse delatos vulgatum. Ubi haec Romae audita, ab omnibus trepidatum est. Princeps ad miserorum solatia & levamenta curas omnes vertit. E consularium numero ducti, qui Campaniam spectarent & refoverent: bona oppressorum, quorum heredes non exstabant, restitutioni afflictarum civitatum attributa.

AN. V. C. DCCCXXXIII. AER. CHR. 80.

Tito Augusto VIII, Domitiano Caesare VII consulibus, nec sanguinis communione, nec societate honorum, nec Principis indulgentia placabatur Domitiani animus, dominationis cupidine atrox. At is modo insidias fratri struere, modo sollicitare exercitus, fugam quoque meditari. Contra Titus, in dies clementior, nec saevire, nec succensere, ne in minore quidem honore fratrem habere, sed imperii consortem successoremque palam testari; secreto tantum lacrimis & precibus orare, "ut tandem mutuo erga se animo vel-

Digitized by Google

let esse". Haec Titi clementia intra domum non stetit. Duos quoque patricii generis convictos in adfectatione imperii nihil amplius, quam "ut desisterent", monuit: "principatum fato dari: si quid praeterea desiderarent, se tributurum". Confestim ad alterius matrem, quae procul aberat, cursores suos misit, qui anxiae salvum filium nuntiarent: mox ipsos familiari cenae adhibuit; & insequenti die, gladiatorum spectaculo, circa se ex industria collocatis, oblatos sibi mirmillonum gladios, quasi ad explorandam aciem, uni atque alteri commisit. Iis perculsis, constantiamque mirantibus, nefaria conjurationum consilia in obsequium cessere.

At quanto melior Princeps, tanto gravioribus malis conflictabatur res Romana. Eo enim profecto, ut Campaniam inviseret, saevissimum post Neronis flammas incendium per triduum totidemque noctes Romae exarsit. Praeter insulas domosque, aedes Serapidis & Isidis, Septa, Neptuni templum, thermae Agrippae, Pantheon, Diribitorium, theatrum Balbi, scena Pompeii, Octaviae opera & bibliothecae, templum Jovis Capitolini, junctaeque Junonis & Minervae aedes, igni hausta. Tetrior adhuc incubuit lues.

Digitized by Google

Tanta enim fuit vis peſtilentiae, ut per multos dies in rationem Libitinae ferme dena millia funerum venirent. Titus, his malis haud victus, pietatem auxit: nec modo Principis ſollicitudinem, ſed & parentis adfectum unicum praeſtitit: everſas incendio fortunas ſuis ſuſtentavit opibus: publica reparavit Urbis damna; & ne prior magnificentia deſideraretur, cuncta praetoriorum ſuorum ornamenta operibus & templis deſtinavit; praepoſitique complures ex equeſtri ordine, quo quaeque maturius peragerentur. Medendae autem valetudini, leniendiſque morbis, quae ei cura magis anxia, nullam divinam humanamque opem non adhibuit, inquiſito omni ſacrificiorum remediorumque genere.

Inter haec temporum adverſa exhorruit delatores mandatoreſque, inteſtinum malum, nec ſub patris principatu, vigente Eprio Marcello, ſatis coercitum, ſaevire auſos. Ut ſecuritati publicae proſpiceret, eos acriter corripuit, aſſidueque in foro flagellis ac fuſtibus caeſos, partim ſubjici in ſervos ac vaenire imperavit, partim in aſperrima inſularum avehi. Et ne rediret audacia, ſed perpetuo coerceretur, vetuit inter cetera, de eadem re pluribus legibus agi, quaerive de

Digitized by Google

cujuſquam defunctorum ſtatu ultra certos annos.

Sic parata imperii tranquillitate, ut praeteritorum malorum memoria aboleretur, amphitheatrum, duobus gradibus a Tito auctum, thermiſque juxta celeriter exſtructis, dedicatum eſt. Ibi editum munus adparatiſſimum largiſſimumque; & uno die quinque millia omne genus ferarum confecta: mox immiſſa aqua, equi, tauri, ceteraque animalia, nova praebuere ſpectacula: deinde Corcyrenſium Corinthiorumque claſſes pugnavere. Iterati poſtea ludi in veteri naumachia: praeter gladiatores, ferarumque caedes, & navale proelium, quo tria millia hominum certavere, exhibita obſidio; atque ut magnarum rerum memoria voluptas crefceret, Athenienſes, Syracuſanos adgreſſi, expugnatoque muro ad id ſtructo, eos ſuperavere. Ludorum pompa munificentia Principis, e theatro dona ſpargentis, exhilarata. Inter haec hilaria fauſtaque imperii auſpicia, VII Idus Decembris vota pro reſtitutione & dedicatione Capitolii nuncupata.

AN. V. C. DCCCXXXIV. AER. CHR. 81.

L. Flavio Silvano Nonio Baſſo, Aſinio Pollione Verrucoſo conſulibus, quidam Terentius

Digitized by Google

tius Maximus, Asa oriundus, Neroni corporis habitu, citharae cantuſque artibus non abſimilis, ſe eſſe Neronem erat mentitus; concitaque popularium manu, ad Euphratem contenderat: ibi regis Parthorum, Tito infenſi, ſtudiis attollebatur. Irritum fuit mendacium, vanaque novarum rerum tentamina, non Urbe tantum, ſed & imperio, in obſequio venerationeque Principis, qui deliciae & amor humani generis appellabatur, defixis.

In hac pacis ſecuritate, vota pro Titi ſalute nuncupabantur. At infauſti amores populi Romani. Et ſuper Domitiani odium, valetudo Principis, aſſiduo balneorum uſu labefactata, ingraveſcebat. Seu ſuae, ſeu communis mortalitatis ſenſu, in ſpectaculorum fine, populo coram ubertim flevit: mox Sabinos petiit aliquanto triſtior, ob laeva, quae evenerant, portenta: ad primam ſtatim manſionem febri corripitur: cum inde lectica transferretur, ſuſpexiſſe dicitur, dimotis plagulis, caelum: multum conqueſtus, "eripi ſibi vitam immerenti: neque enim exſtare ullum ſuum factum poenitendum, excepto dumtaxat uno". Id quale fuerit, neque ipſe tunc prodidit, neque cuiquam facile ſuccurrit. Vanum autem ſcrutari, quod non licet

Digitized by Google

adsequi. Ubi Titus in villa, qua pater obierat, decubuit, morbus invaluit. Domitianus, morarum impatiens, eum, remedii specie, lavacro nive pleno mergi deserique jubet: mox ipse propere Romam petit, castra occupat, & promisso, quod frater dederat, donativo, Imperator salutatur. Exstinctus est Titus Idibus Septembris, altero & quadragesimo aetatis anno, eamdem brevi imperio, quam Augustus longiore, claritatem adsecutus. Utrique mortis opportunitatem obtigisse multi memorabant, quod ille brevitate vitae ventura vitia effugisset, hic juventutis mala senectute emendasset. Ingens fuit in Urbe Titi desiderium, ut in domestico luctu cunctis publice moerentibus. Praecipuus dolor senatus, qui amantissimum ordinis sui Principem amittebat.

DOMITIANVS

Domitianvs defunctum Titum nullo praeterquam consecrationis honore dignatus est: ausus & in senatu jactare, "& patri se & fratri imperium" dedisse, "illos sibi reddidisse". Haud illaeta tamen fuere principatus initia, Principe adversus cupiditatem &

Digitized by Google

avaritiam satis firmo. Senatus, novi imperii facilitate utendum ratus, postulavit "ne senatorem Princeps puniret, sed reos senatus judiciis permitteret". Renuit Domitianus, seu iras jam recondebat, seu fratris clementiam exosus. Manebat enim odium etiam post fata; Titumque assidue vel obliquis orationibus vel edictis carpebat: immo vetuit natalem ejus diem celebrari.

AN. V. C. DCCCXXXV. AER. CHR. 82.

Domitiano Augusto VIII, T. Flavio Sabino consulibus. Princeps, ut patre fratreque videatur melior, omnes reipublicae partes emendare adgreditur. A se orsus, ne ulla haereat cupiditatis suspicio, relictas sibi hereditates ab iis, quibus liberi erant, non recipit; omnes circa se largissima liberalitate prosequitur, nihil prius aut acrius monitos, quam "ne quid sordide facerent". Inde in foro assiduus, pro tribunali jus dicit; & extra ordinem ambitiosas centumvirorum sententias rescindit: magistratus urbicos & provinciarum praetores ita coercet, ut neque modestiores umquam, neque justiores exstiterint. Fiscales calumniae magna calumniantium poena repressae; egregiaque vox Principis audita: "Princeps, qui delatores non castigat, irritat".

Digitized by Google

Ut licentiam infringat, probrosis feminis usum lecticae, jusque capiendi legata atque hereditates adimit. Infensus quoque ingeniorum audaciae, famosa scripta, vulgoque edita, quibus primores viri ac feminae notabantur, abolet, non sine auctorum ignominia. Simul priorum Principum magnificentiam aemulabatur. Templa monumentaque, quae incendium nuper hauserat, refecta. Ne omissa quidem incensarum bibliothecarum cura: ut repararentur, exemplaria undique petita; missique Alexandriam, qui describerent, emendarentque. Capitolium autem tantis opibus restitutum, ut in aurea ejus opera duodecim millia talentorum impensa. Prope Capitolium, Jovi Custodi exstructum templum ingens. Palatio quoque addita Domitiani domus, quae inter tanta opera praefulgeret. At resurgentem Caii Neronisque prodigentiam mirantibus inerat metus, ne rediret quoque saevitia. In eam enim praeceps erat Domitianus; caesique Aelius Lamia, & Flavius Sabinus.

AN. V. C. DCCCXXXVI. AER. CHR. 83.

Domitiano Augusto IX, Q. Petilio Rufo I consulibus, Domitia, uxor Principis, Augusta que recens consalutata, Paridis histrio

Digitized by Google

nis amore foedabatur. De ejus caede consultatum. Urso vitam deprecante, repudiata est. Paris, in via Flaminia caesus, adulterii poenas luit. Multi, qui, ob scenicarum artium memoriam, ejus tumulum floribus condecorabant, interfecti. Tum Princeps in amorem Juliae, divi Titi filiae, prorupit. At, intra breve tempus, impatiens discidii, Domitiam, quasi efflagitante populo, reduxit. Haud fracta tamen Juliae potentia ac libido. Super has cupidines, & aedificiorum impensas, quibus vix par fuisset imperium, in immane creverant spectaculorum sumptus. Iis brevi exhaustae opes; & Principis libidines inopia accensae. Sic coepit tristissimum illud saeculum, quo, resolutis reipublicae vinculis, turbata omnia & in contrarium versa. Curia trepida fuit & elinguis. In castris nulla ducibus auctoritas, nulla militibus verecundia.

Inter haec immotus Agricola grande dedit constantiae exemplum. Hactenus Britannia belli pacisque artibus obtenta, cunctisque gentibus cis Bodotriam compositis, Hiberniae imminens eam facili certaeque victoriae destinabat. At propius graviusque discrimen ingruebat ab amplis civitatibus

Digitized by Google

trans Bodotriam fitis. Agricola hac aeſtate eas exercitu claſſeque adgreſſus, ſimul terra, ſimul mari bellum impulit, ut latius faceret terrorem, & ſubitis occurreret. Populi, Caledoniam incolentes, aperiri ſuos receſſus indignati, paratu magno arma cepere. Agricola, ne ſuperante numero, & peritia locorum circumiretur, diviſo in tres partes exercitu, inceſſit. Hoſtis, occaſione uſus, nonam legionem, ut maxime invalidam, nocte adgreſſus, inter ſomnum ac trepidationem irrupit. Quod ubi Agricolae compertum, opem tulit, & Britannos ita terruit, ut niſi paludes & ſilvae fugientes texiſſent, debellatum illa victoria foret. Succeſſu ferox exercitus penetrandam Caledoniam fremebat. Dux cautior reſtitit, ut certam & incruentam victoriam pararet.

Eadem aeſtate cohors Uſipiorum, per Germanias conſcripta, & in Britanniam tranſmiſſa, conſcenſis tribus liburnicis, aufugit. Hae, illae rapti, & ad id inopiae adacti, ut infirmiſſimos ſuorum, mox ſorte ductos veſcerentur, Britanniam circumvecti ſunt. At amiſſis per inſcitiam regendi navibus, a Suevis Friſiiſque intercepti ac venumdati indicio tanti caſus inclaruere.

Digitized by Google

AN. V. C. DCCCXXXVII. AER. CHR. 84.

Domitiano Auguſto X, & T. Aurelio Sabino conſulibus, quaeſita belli materia, ut Princeps triumphalia civilis belli Judaicaeque victoriae, quae dudum aemulabatur, decora praemineret. Petita Germania. At ne gentes, domeſticis tumultibus diviſae, in unum ſociarentur, ſi vis Romana magno paratu ingrueret, Domitianus profectionem ſuam cenſu obtexuit Galliarum. Tum inopinato bello adfuſus, Cattos terruit. Mox, ne viſo quidem hoſte, emptis tantum per commercia, quorum habitus & crines in captivorum ſpeciem formarentur, Romam repetit, praeeunte fama Germaniam captam. Ut falſa fuit victoria, ita in Urbe major adulatio. Super ſolitos honores, Principi conſulatus in decennium a ſenatu decretus, perpetuaque poteſtas cenſoria data: additum, ut, quotiens in ſenatum veniret, quatuor & viginti lictoribus veſteque triumphali uteretur.

Dum Princeps Urbſque fortunae illudebant, Agricola ſumma de re in Britannia decertabat. Is ubi ad montem Grampium pervenit, adſtitere hoſtes, ſuperioris anni clade non fracti, &, ſociatis omnium civitatum viribus, validiores. Calgacus, virtute & ge-

Digitized by Google

nere praeſtans, eos adlocutus, ſpe libertatis, ſervitutis metu, majorum memoria, poſterorum cura inflammat. Suum quoque militem Agricola rerum ante geſtarum gloria victoriaeque neceſſitate accendit. Poſt ſtatim ad arma diſcurſum: ambigua diu pugna: cum tandem, immiſſis equitum alis, quas Agricola ad ſubita belli retinuerat, Britanni in fugam verſi, & ab inſequentibus trucidati. Caeſa hoſtium ad decem millia. Romanorum trecenti quadraginta cecidere, in quîs Aulus Atticus, praefectus cohortis, juvenili ardore & ferocia equi hoſtibus illatus. Exacta jam aeſtate, cum ſpargi bellum nequiret, Agricola in fines Horeſtorum exercitum deduxit. Ibi acceptis obſidibus, praefecto claſſis circumvehi Britanniam praecepit; & in extremum hunc terrae famaeque receſſum eſt inquiſitum.

AN. V. C. DCCCXXXVIII. AER. CHR. 85.

Domitiano Auguſto XI, T. Aurelio Fulvo conſulibus. Princeps, in Urbem redux, triumphum egit; & ut praemiis fidem virtutis militaris faceret, quartum addidit ſtipendium militi, aureos ternos. Haec alii ſolita adulatione attollebant: plures irridebant: pari utrimque diſcrimine, cum Domitianus con-

Digitized by Google

scientia mendacii laudes non ferret, & infita vanitate contumelias odisset. Omnibus pariter infensus, secretoque palatii, aut in Albano suo conditus, atroces iras meditatur. Inde in deterius ruente principatu, delatores, hactenus repressi, licentius irrupere. Ursus, talia Principis dedecora haud aequo animo ferens, in discrimen adductus. At quam ipse Domitiae, hanc illi salutem adtulit Julia.

Invidum autem Principis animum acrius uffere literae, ab Agricola missae, quibus res in Britannia gestae nuntiabantur. Recurrebat enim falsi triumphi pudor. Suberat & indignatio, veram & magnam victoriam, tot millibus hostium caesis, ingenti fama celebrari. Formidolosum videbatur privati hominis nomen supra Principis attolli, militaremque gloriam occupari. Odium tamen reposuit, donec impetus famae & favor exercitus langueſceret. Nam etiam tum Agricola Britanniam obtinebat. Igitur triumphalia ornamenta, & illustris statuae honorem, & quidquid pro triumpho datur, multo verborum honore cumulata, decerni in senatu jubet, addique insuper opinionem: Syriam provinciam Agricolae destinari, vacuam tum morte Atilii Rufi consularis, & majoribus re-

Digitized by Google

ſervatam. Agricola, tradita ſucceſſori ſuo quieta tutaque provincia, Romam revertit. At ne notabilis celebritate & frequentia occurrentium introitus eſſet, vitato amicorum officio, noctu in Urbem, noctu in palatium, ita ut praeceptum erat, venit: exceptuſque brevi oſculo, & nullo ſermone, turbae ſervientium immixtus. Impendebat & ruina, ni militare nomen aliis virtutibus temperaſſet; modeſtiaque parta ſecuritas.

Interim inteſtinis bellis fervebat Germania. Catti, triumphati, non victi, Cheruſcos, gentem Romanis fidam, erant adgreſſi; pulſuſque regno Chariomerus, Cheruſcorum rex. Is quidem, ſociis in auxilium excitis, regnum recuperavit: at mox deſertus, obſides Romam miſit, qui opem orarent. Data tantum pecunia; Cheruſcique, longa pace imbelles, a Cattis attriti ſunt. Tracti ruina Cheruſcorum Foſi, contermina gens. Suevis autem, quod a Lygiis vexarentur, auxilium petentibus, miſſi centum equites, onus potius, quam vires adverſus hoſtem. Unde irritati Suevi cum Jazygibus adverſus pacem Romanam, trajecto Danubio, conſilia iniere. Maſyus quoque, Semnonum rex, & Ganna, poſt Veledam magnae apud eos auctoritatis femina,

Digitized by Google

cum Romam veniſſent, honorifice excepti, in patriam remiſſi ſunt. Sic quae olim, dum vigebant artes Romanae, ad debellandam ſuiſque armis vincendam Germaniam fuiſſent quaeſita, ultro oblata tum ſpernebantur cum pari reipublicae probro ac detrimento.

AN. V. C. DCCCXXXIX. AER. CHR. 86.

Domitiano Auguſto XII, Ser. Cornelio Dolabella conſulibus, licet Urbs ſua luxuria jam fatiſceret, excogitata nova ludorum nomina ad Graecorum exemplum. Igitur exſtructis odeo ſtadioque, inſtitutum quinquennale certamen, Capitolino Jovi triplex, muſicum, equeſtre & gymnicum. Ibi non poeſi tantum, certatum etiam & proſa oratione Graece Latineque. Laudes Jovis Capitolini perpetua materia. In ſtadio cucurrere & virgines. Super haec ludicra, quotannis celebrabantur in Albano Quinquatria Minervae, cui Princeps collegium inſtituerat; ex quo ſorte ducti magiſterio fungerentur, redderentque eximias venationes & ſcenicos ludos. Ibi quoque oratorum ac poetarum certamina.

Interim malum, reipublicae exitiale, in exercitibus gliſcere coeperat. Sordebat nempe vetus diſciplina, orbis terrarum victrix: ducumque cura in leviores agilioreſque artes

Digitized by Google

conversa, studium armorum, a manibus ad oculos, ad voluptatem a labore transferebatur: nec exercitationibus veteranorum aliquis, cui decus muralis aut civica corona, sed Graeculus magister assistebat. Aderat & pessimum exemplum, mollitia Principis adeo fracti & enervis, ut si navigaret, nec pulsum, nec fragorem remorum ferret, sed ad singulos ictus formidine horresceret. Unde repertum, ut procul ab omni sono inconcussus & immotus, religato revinctoque navigio, non secus ac piaculum aliquod, traheretur. Cetera ad hanc luxus speciem corrupta & imbellia. Nec ulla jam reipublicae cura. Sed si qua forte consilia, de libidine gulaque inita. Anxia tantum Principis sollicitudo, ne ulla emineret virtus. Multae tamen hostium minae.

Invalido Agricolae successore, animos resumpserant Britanni; jamque celebrabatur rex Arviragus. Plus adhuc terroris inferebant Daci, quorum amicitiam priores Principes pecunia foverant. Ubi exhaustum a Domitiano aerarium liberalitati non suffecit, hostilia ingruere; duceque Diurpaneo, quem Decebalum appellabant, coeptum atrox bellum. Inter haec Romani nominis opprobria,

Digitized by Google

tertiodecimo Kalendas Octobres natus est Antonius Pius, cui studia virtutis & publica felicitas, cum imperio potitus est, immortale decus peperere.

AN. V. C. DCCCXL. AER. CHR. 87.

Domitiano Augusto XIII, Aulo Volusio Saturnino consulibus. Hactenus Princeps se super patris fratrisque laudes extulerat, Graecamve vanitatem erat aemulatus: nunc ad Orientis libidines superbiamque divertit; & infra se humanos honores ratus, divinos usurpavit. Talis adrogantiae initium fecit, cum procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, iis verbis: "Dominus deusque noster sic fieri jubet". Quod statim ita pervulgatum, ut ne scripto quidem ac sermone cujusquam aliter appellaretur. Tum ad id superbiae compositus est principatus: statuasque sibi in Capitolio non nisi aureas & argenteas poni permisit, ac ponderis certi. Janos arcusque cum quadrigis & insignibus triumphorum passim per regiones Urbis exstruxit. Inde in omnium fortunas eo licentius irruit, quod operum ac munerum impensis, auctoque stipendio exhaustus, & ad relevandos castrenses sumptus inconsulte amputatis militum numeris, obnoxium se bar-

Digitized by Google

baris animadverteret. In praedam cessere bona vivorum ac mortuorum: usquequaque quolibet & accusatore & crimine corripiebantur. Satis erat objici qualecumque factum dictumque adversum majestatem Principis. Nulla testamenta secura, nullus status certus, si vel unus profiteretur, audisse se ex defuncto, cum viveret, heredem sibi Caesarem esse, alienissimae confiscabantur hereditates. Acerbius adhuc agebatur fiscus Judaicus; deferebaturque quicumque, vel improfessus, Judaicam intra Urbem viveret vitam, vel dissimulata origine, imposita genti tributa non pependisset. Nec abstinebatur contumeliis, ut inspiceretur, an quis esset circumsectus.

His quidem atrocitatibus crevere opes Principis. At militi non redierat virtus. Ambiguum semper, aut funestum cum Dacis bellum: invalido adversus hostium ferociam, ducisque artes, Oppio Sabino, qui tum Moesiam regebat. Ni fors faviisset, certa quoque Flacci, Numidiae praetoris, ruina. Nasamones, quod tributis attererentur, arma ceperant, quaestoresque interfecerant. Dein Flaccum adgressi, eoque superato, castris potiti, forte ibi praeter cibaria vini copiam

Digitized by Google

reperere, qua ingurgitati ac temulenti, a Flacco internecione deleti sunt. Fortuitam victoriam suas in laudes Domitianus traxit, gloriatus in senatu "se Nasamonibus vita interdixisse".

AN. V. C. DCCCXLI. AER. CHR. 88.

Domitiano Augusto XIV, L. Minucio Rufo consulibus. Opes Principis, privatarum fortunarum subversionibus reparatae, in spectacula statim sunt impensae: quibus tot plus celebritatis foret, editi saeculares ludi; computata ratione temporum ab anno, non quo Claudius proxime, sed quo olim Augustus eos ediderat. Immo & anticipatum tempus, ne lentior veniret voluptas. Urbe gaudio vaga auditum est, hominem incertae conditionis in Oriente videri, qui se Neronem esse jactaret; eumque gratia opibusque Parthorum niti. Seu imminuta Romani nominis auctoritate, seu infestiore Parthorum animo, & praevalida vetere in Neronem benevolentia, mendacium, alias jam vulgatum, aegre compressum. At is tandem redditus est; & sublata turbarum materia.

Tristiores e Danubii ripa venere nuntii. Diurpaneus, caesis legionibus, Oppium Sabinum, consularem, oppressserat; ejusque ca-

Digitized by Google

put foede abſciſſum apud barbaros oſtentui habebatur. Penetrata inde provincia, Diurpaneus caſtella urbeſque expugnabat, cunctaque praedabundus late populabatur. Nec jam de limite imperii & ripa, ſed de hibernis legionum & poſſeſſione dubitatum.

AN. V. C. DCCCXLII. AER. CHR. 89.

T. Aurelio Fulvo II, A. Sempronio Atratino conſulibus. Poſt tantas exercituum clades, dux ultorque ſanguinis Romani ore vulgi poſcebatur Agricola. Reſtitit Princeps, inſenſus virtutibus, & gloria viri deterritus. Ipſe cum immenſo paratu adverſus Dacos proficiſcitur, bellum, ut rebatur, ſuis auſpiciis reparaturus. Diurpaneus, tantam armorum vim metuens, legatos miſit, qui de pace agerent. Ejus prudentia Domitiani vanitatem inflavit. Is, ſpretis legatis, ne dato quidem reſponſo, Cornelium Fuſcum, praetoriarum cohortium praefectum, bello praeponit. Ubi Diurpaneo id fuit compertum, ducem Urbis deliciis, quam belli artibus meliorem irriſit, rurſuſque miſit legatos, qui pacem offerrent, dum Romani, harum terrarum incolae, ſingulis annis binos obolos ſolverent: ſecus exterminium minitabatur. Domitianus, ut vanus, ſic periculi timidus, in

Digitized by Google

in Moesia restitit. Fuscus, junctis navibus in modum pontis, Danubium transmisit cum lectissimis militibus; hostemque adgressus, sed post cruenta proelia oppressus, temeritatis poenas luit. Tum cura belli Juliano commissa, qui rem Romanam restituit.

Interim Domitianus in Pannoniam venerat; Quadisque & Marcomannis infensus, quod opem adversus Dacos non tulissent, intulerat bellum. Iis pacem orantibus, despecti legati: alii, cum preces iteraffent, caesi. Germani, hac atrocitate in furorem versi, bellum suscipiunt; victusque & in fugam conjectus Domitianus. Res felicius cesserant in Dacia. Julianus, arte usus, ut Romanorum animos pudore erigeret, jusserat milites sua & centurionum nomina scutis inscribere. Tum, cum certa esset virtus, nec occulta ignavia, hostes adgressus est, gravique clade eos perculit. Vezinas, post Diurpaneum auctoritate apud Dacos praecipuus, simulata morte, deinde fuga salutem quaerere coactus. In ipsius regiae expugnationem ibatur, ni Diurpaneus hostem, quem vi repellere non poterat, astu elusisset. Caesis enim arboribus, truncos armis induit, numerosique exercitus fecit speciem, qua deco-

Digitized by Google

ptus Julianus receſſit. Manebat tamen prioris victoriae fama. Ea uſus eſt Domitianus, ut ſe ſuo dedecore exſolveret; pacíſque conditiones & opes obtulit, quas Diurpaneus ultro accepit, diuturni belli laboribus feſſus, & clade a Juliano illata anxius. Colloquium tamen cum Principe renuit: ſed fratrem ſuum Diegin miſit, qui capta arma, paucoſque captivos, quaſi hi ſoli manerent, traderet. Tum Domitianus, ut victor, regnumque daturus, Diegin diademate evinxit. Superbas inde literas, victoriarum nuntias, amplaque ſpoliorum fercula, una cum epiſtola Diurpanei, vera incertum an ficta, ejuſque legatos Romam mittit; quo mox ipſe, aucto milite honoribus & donativo, revertitur; provinciis, quam hoſtibus, gravior.

AN. V. C. DCCCXLIII. AER. CHR. 90.

Domitiano Auguſto XV, M. Cocceio Nerva II conſulibus. Vulgato ſub hoc principatu more, quo clades, ut quondam victoriae, celebrabantur; Princeps de Dacis Germaníque triumphavit: nec umquam magis ſollicita adulatio, ut triumphales ejus ſtatuae non Urbem tantum, ſed & imperium, opplerent. Acriora tamen Romae ſtudia, inſtinctore Principe, qui militiae probra ſpectaculorum

Digitized by Google

magnificentia velabat. Omne genus ludorum editum. In naumachia, juxta Tiberim effoſsa & circumſtructa, paene juſtae claſſes pugnavere: at miſera fuit & ſpectantium & pugnantium ſors. Hi enim ad omnium uſque necem certavere. Illorum multi exſtincti ſunt, quod Princeps adeo fuit pervicax, ut, coorta tempeſtate, inter maximos imbres, proſpectaverit, veſtes quidem idemtidem commutans; neminem vero egredi, aut veſtimenta mutare ſiverit.

Ut in hac ludorum ſatietate irritaretur voluptas, naturae portentis placuit ludere; viſaque pumilonum & mulierum certamina. Haec ludicra excepit convivalis laetitia, luctu mixta. Novo quidem luxu, & miraculo noctis die ſplendidioris, datum plebi epulum. Contra Principis cena tenebrarum obſcuro funereiſque caerimoniis horruit. Paratae erant aedes nigrore luridae: atra ibi laquearia, parietes, pavimentum: atra quoque, & in ſolo nuda, ſedilia. Primores ſenatus equeſtriſque ordinis ſine comitibus huc intrare ſedereque juſſi; ſepulcraliſque columna, convivae nomine inſcripta, cuique adpoſita, cum exiguo lychnucho, qualis in monumentis ſuſpenditur. Tum, umbrarum inſtar, erupere ele-

Digitized by Google

gantes pueri, nudi & atramento tincti, qui cum horride circum convivas tripudiassent, ante cujusque pedes adstitere. Mox allatae feralis convivii lances, ministratumque, quidquid in funeribus edule & atrum. Loci horror, pavor imminentis fati omnes attonuerat. Alto silentio defixis terrorem intendebat Princeps, mortes, caedes, ceteraque funebria memorans. Nec cenae finis metus lamentum tulit: at servis, qui in aedium vestibulis constiterant, jussis discedere, alii & ignoti praesto fuere, qui convivas partim vehiculis, partim lecticis imponunt; cunctis rigescentibus, seque ad mortem rapi reputantibus. Ut tamen quisque sua in domo repositi, formidinem inter & spem ancipites, respirare coeperant, cum nuntiatur singulis, quosdam ab Augusto venire; gravior redit pavor, statimque subit admiratio, cum columnae argenteae, lances pretii laborisque exquisitissimi, in cena adpositae, aliaque id luxus dona adferrentur: singulis quoque datus puer, qui inferna imagine luserat, tum lotus comptusque. Sic nocte absumpta, coepit Principis liberalitas celebrari. At quae ipse triumphalia victoriarum decora jactitabat, vulgus ferales epulas eorum, qui in Da-

Digitized by Google

cia occubuerant, vel in Urbe mactabantur, verius adpellavit.

Ausus tamen ipse est, Septembrem mensem & Octobrem ex adpellationibus suis *Germanicum Domitianumque* transnominare; quod altero susceperisset imperium, altero natus esset. Mansere vocabula, dum saevire potuit: periere, ubi desiit timeri. Interim Civica Cerialis, Asiae proconsul, res novas erat molitus. In ipso proconsulatu occisus est. Asia, in rebellionem ebrietate acta, excidere vineas jussa. Aderat annus, quo Agricola proconsulatum Asiae & Africae fortiretur: artes invidiamque Domitiani veritus, ne in provinciam iret, se excusavit, annuentique Principi gratias egit. Salarium tamen, proconsuli solitum offerri, Agricolae non dedit Domitianus, sive offensus non petitum, sive ex conscientia, né quod vetuerat, videretur emisse.

AN. V. C. MCCCXLIV. AER. CHR. 91.

M. Ulpio Trajano, M. Acilio Glabrione consulibus, vulgata prodigia, quae Glabrioni exitium, Trajano imperium portenderent. Certe Trajani virtus, in castris jam probata, Urbis splendore inclarescebat; factumque calamitate temporum, ut multi ejus fortunam

Digitized by Google

augurarentur simul & procurentur. Favorem augebat Princeps in dies atrocior. Juliam, incesto pollutam, quod supra memoravimus, dum cogit, conceptum a se abigere, occiderat; moxque divinis honoribus extulerat. Super hanc libidinem, aliis mersus, tanto erat invisior, quod se acerrimum violatae pudicitiae vindicem ferebat.

Vespasianus quidem Titusque Vestalium incesta neglexerant: haec Domitianus aemulatu magis, quam sanctitatis studio, coercuit. Jam sub ipsa principatus initia, Ocellatas sorores Varonillamque corripuerat: iis tamen permissum liberum mortis arbitrium; earumque corruptores relegati. Nunc vero quasi indulgentiae poeniteret, ratusque saeculum suum illustrari, si Vestalem vivam defoderet, Corneliam, Vestalium maximam, olim absolutam, longo intervallo repetit; jureque pontificis maximi reliquos pontifices, non in regiam, sed in Albanam villam convocat. Cornelia, absens inauditaque, incesti damnatur. Missi statim pontifices, qui defodiendam necandamque curarent. Ejus stupratores virgis in comitio ad necem caesi: quos inter Celer, eques Romanus, supplicio subditus, se insontem professus est. Vale-

Digitized by Google

rius Licinianus, praetorius vir, reuſque, quod in agris ſuis occultaſſet Corneliae libertam, ad confeſſionem confugit. Princeps, ſe abſolvi laetus, exſilium molle, velut praemium, ipſi dedit.

AN. V. C. MCCCXLV. AER. CHR. 92.

Domitiano Auguſto XVI, Q. Volufio Saturnino conſulibus. Gliſcentia jam ob ſaevitiam odia Domitianus adhuc provocabat contumeliis, quibus nihil umquam fuit Principibus exitioſius. L. Antonius, Germaniae ſuperioris praeſes, iis accenſus bellum civile movit. Ipſi aderant legionum vis & opes: conſilia quoque cum Germanis inierat. Grave inde exarſerat bellum, ni L. Maximi vigilantia forſque reipublicae praeſto fuiſſent. Admira felicitate, ipſa dimicationis hora reſolutus repente Rhenus tranſituras ad Antonium barbarorum copias inhibuit; victuſque Antonius. Ubi Romam venere rebellionis nuntii, Domitianus, cum de retinenda dominatione ageretur, impiger legiones excivit; Trajanum, qui in Hiſpania tunc agebat, Lucianum Proclum alioſque evocavit, ſtatim ipſe ad bellum profectus. In itinere ſupervenere victoriae nuntii; eaque quodam famae miraculo, prius praeſagiis, quam nuntiis, Romae in-

Digitized by Google

notuit. Ipso enim, quo dimicatum est, die, statuam Principis insignis aquila circumplexa pennis clangores laetissimos edidit; vulgatusque, incerto auctore, rumor, "interfectum Antonium": multis etiam caput ejus allatum vidisse se adeo pervicaciter contendentibus, ut pars magna magistratuum pro parta victoria statim sacrificaret.

Tam inopinato successu in limite imperii restituta pax: at Principis crudelitas inclementer saeviit. Id quidem veritus L. Maximus, literas omnes in Antonii scriniis repertas igne abolevrat, ne cui periculum facesserent. Domitianus, pericula atrox, quosvis suspectos corripuit: interfectorum quoque memoriae infensus, vetuit "in acta eos referri". Ne scriptis quidem ad senatum literis, eorum capita, ut & Antonii, Romam missa pro rostris exponenda. In hac pereuntium turba, duo soli e notioribus venia donati sunt, tribunus laticlavius, & centurio, qui "se", ut facilius expertes culpae crederentur, "impudicos" probaverant, "& ob id neque apud ducem, neque apud milites ullius momenti esse potuisse". Ne idem rediret periculum "geminari castra legionum" prohibitum: "nec plus quam mille nummos

Digitized by Google

a quoquam ad signa deponi". Antonius enim apud duarum legionum hiberna, ex depositorum etiam summa, fiduciam cepisse videbatur. Imminuta quoque nobilium potentia, quaedam ex maximis officiis inter libertinos militesque Romanos communicata.

Longius adhuc prospexit suspicacis Principis cura: cumque ebrietas in seditiones facile efferveseat, uti jam ante de Asia compertum, causatus "ubertatem vini, frumenti inopiam, nimioque vinearum studio negligi arva", edixit, "ne quis in Italia novellaret; utque in provinciis vineta succiderentur; relicta, ubi plurimum, dimidia parte". Quatamen in re exsequenda haud ita perseveravit, seu mutatus precibus Scopeliani, a cunctis Asiae civitatibus, ut id deprecaretur, missi, seu potius metu compulsus, quod sparsi tum libelli cum Graecis versibus, hac sententia: "Rode vitem; hinc tamen erit, quod in mactandum Caesarem spargatur". Quibus commotus, edicti de excidendis vineis propositi gratiam fecit. Insuper datum Scopeliani eloquentiae, ut qui in Asia vites non sererent, multarentur. Sub Principe, cui ludus fuit muscas captare ac stylo praeacuto configere, quidam coepere, novo scelere,

Digitized by Google

venenatis acubus obvios pungere; morſque ſaepe ſine ullo doloris ſenſu inferebatur. Furor, qui non in Urbe tantum, ſed peſſimo aemulatu per totum imperium graſſabatur, reorum morte repreſſus.

AN. V. C. MCCCXLVI. AER. CHR. 93.

Pompeio Collega, Cornelio Priſco conſulibus. Verſo ad ſaevitiam Principe, crevit delatorum audacia; boniſque omnibus formidata nomina, Carus Metius, Catullus Meſſalinus, Marcus Regulus, Publicius Certus, & Bebius Maſſa. Hic, ſupra inſitam perfidiam, ſuo quoque periculo audax. Baeticis enim querentibus contra eum ſenatus Plinium cum Herennio Senecione advocatum provinciae dederat. Dum fit inquiſitio, obiit Cn. Julius Agricola, ſexto & quinquageſimo aetatis anno. Rerum geſtarum claritate, virtutumque conſtantia, celebrata olim nomina aequaverat: propriam in hac temporum calamitate laudem adſecutus, quod ſine contumacia, ſine inani jactatione libertatis, ſed moderatione & prudentia, induſtria ſimul & vigore, ſalvam virtutis famam retinuit; & quam multi ambitioſa morte quaeſiere, ipſe placido vitae curſu immortalem ſui memoriam reliquit: magno quidem exemplo, poſſe

Digitized by Google

etiam ſub malis Principibus magnos viros eſſe.

Poſt Agricolae mortem, quaſi turbo, furor Domitiani incubuit. Is nempe efferatus civilis belli memoria & aſſiduis conjurationum rumoribus, ratuſque ſecuritatem diffidentia niti, non jam per intervalla ac ſpiramenta temporum, ſed continuo & velut uno ictu rempublicam exhauſit. Ob leviſſimas ſuſpiciones bonus quiſque in exilium acti, morteve adfecti. Inter eos, qui poenis tum fuere obnoxii, eminebant M. Cocceius Nerva & Salvidianus Orfitus, ambo conſulares: ille Tarenti exſul delituit: hic in inſulam conjectus, mox interemptus eſt. In his temporum acerbitatibus, auditi ſunt motus Sarmatarum, qui legionem cum legato ceciderant. Huc tendit Princeps. Et, ſeu victis hoſtibus, ſeu fictis victoriis, uti jam ante, ludificatus, lauream Jovi Capitolino retulit.

AN. V. C. MCCCXLVII. AER. CHR. 94.

L. Nonio Torquato Aſprenate, T. Sextio Magio Laterano conſulibus. Principis ſaevitia, nec bello, nec victoriae ſollemnibus remiſſa, impietatis accuſationibus adcrevit. Praecipua mali cauſa Maſſa Bebius, ſupra memoratus. Is fuerat damnatus, cauſam Bae-

Digitized by Google

ticorum orantibus Herennio Senecione & Plinio: ejusque bona, ut publice custodirentur, sepositа. Senecio, dum, nimio in clientes provinciamque studio, apud consules instat, ne postulationibus vacent, irritat Massam, qui eum impietatis postulat, quod Priscum Helvidium laudasset. Ea accusatione perculsus, occisus est. Par causa, eademque ruina Arulenum Rusticum traxit; eique capitale fuit, quod Paeti Thraseae vitam scripsisset, virumque sanctissimum adpellasset. Nec in ipsos modo auctores, sed in libros quoque eorum saevitum, delegato triumviris ministerio, ut in comitio ac foro urerentur. Eodem casu convulsae nobilissimae feminae: relegantur Arria Thraseae Paeti, Fannia Helvidii Prisci vidua, Gratilla Rustici uxor. Relegatus quoque Mauricus. Nihil autem atrocius visum, quam cum Publicius Certus, accusato Helvidio filio, quasi scenico exodio sub persona Paridis & Oenones divortium Principis cum uxore tractasset, ipse senator senatori manus intulit, eumque, mox occidendum, in carcerem duxit. Tum Philosophi omnes, ut instinctores libertatis, Urbe Italiaque submoti. Acriter quoque in Christianos animadversum.

Digitized by Google

AN. V. C. MCCCXLVIII. AER. CHR. 95.

Domitiano Augusto XVII, T. Flavio Clemente consulibus. Nemo umquam tot consulatus ceperat. Id Principis adrogantiae diffidentiaeque datum. Obsessa autem, ut priore anno, curia. Nec pudor fuit Clementem reum subdere, licet consul, Principis collega ac patruelis foret. Ob Christianam religionem, arguebatur impietatis in deos; ideoque ferme in ipso consulatu interemptus. Eamdem ob causam Flavia Domitilla, ejus uxor, in Pandatariam insulam relegata, ut & in Pontiam altera Domitilla, pariter Flavio sanguine orta. Nulla re magis Domitianus maturavit sibi exitum; licet & alias nobilium caedes ediderit: quas inter Acilius Glabrio consularis & exsul occisus est, ut rerum novarum molitor. At ubi mota domestica haec odia, nemo fuit, cui Princeps fideret. Frustra vel praefectos praetorio in ipsa praefectura reos agebat, vel opprimebat libertos, quos ut doceret numquam, ne bono quidem exemplo, audendam patroni necem, Epaphroditum a libellis capitali poena condemnavit, quod post distitutionem, Nero in adipiscenda morte, manu ejus adjutus existimabatur. Suppliciis irritata tantum audacia,

Digitized by Google

Nec profuit vigilantia Juventii Celsi, inter conspiratos olim accusati; sed supplicium effugerat, Principem secreto allocutus, testatusque se esse insontem: &, si annuerit Princeps dominus ac deus, se nefanda quaevis consilia investigaturum, certoque renuntiaturum. Postea semper elusit Principem; hacque fraude incruentus supervixit.

AN. V. C. MCCCXLIX. AER. CHR. 96.

C. Antistio Vetere, C. Manlio Valente consulibus. Valens nonagesimo aetatis anno in consulatu mortuus est. Hunc quoque annum fatalem sibi fore Domitianus dudum audierat, ab adolescentia vaticiniis Chaldaeorum, qui diem, horam, genusque mortis ei praedixerant, imbutus. Recentioribus adhuc agitabatur oraculis. Insuper continua fulminum vis, tactum de caelo Capitolium, templum Flaviae gentis, domus Palatina & cubiculum Principis, aliaque multa portenta metum intendebant. Dum adversus imminens periculum se sollicitudine & saevitia accingit, suam ipse impellit ruinam. Parthenius enim & Sigerius, cubicularii, Entellus a libellis, ceteriique Principis amici ac liberti, sed ejus iras veriti, conjurationem iniere. Iis animos addidit Domitia, cum forte legisset

Digitized by Google

ſecretas Domitiani tabellas, quibus ſuum, eorumque, qui morti deſtinabantur, nomen inſcriptum. Ubi id conſpiratis compertum, ſuo aliorumque periculo territi, rem properant. Prius tamen actum de ſucceſſore, quem eligerent. Cocceium Nervam ad imperii ſpem votumque erigunt. Cunctabantur adhuc, quando & quomodo Domitianum adgrederentur. Stephanus, Domitillae procurator, & tunc interceptarum pecuniarum reus, conſilium operamque obtulit. Is ergo, ut ad ſuſpicacem Principem facilior ſecretiorque foret aditus, conſpirationis indicium profeſſus, & admiſſus, legenti traditum a ſe libellum & attonito ſuffodit inguina: ſaucium ac repugnantem alii adorti, vulneribus ſeptem contrucidaverunt. Occiſus eſt Domitianus quartodecimo Kalendas Octobris, anno aetatis quinto & quadrageſimo, imperii quintodecimo. Ante principatum arrogans, ſub principatus initiis, ut patris fratriſque gloriam obrueret, virtutum ſpecies mentitus eſt: mox ſuis vitiis abſtractus, in omnes libidines ruit: quaevis audendi licentiam adducto & militari imperio obtinuit: plebi, ob ludorum magnificentiam, non ingratus; militi, cui omnia indulgebat, acceptiſſimus,

Digitized by Google

senatoribus ita odiosus, ut, audita ejus caede, certatim repleverint curiam, & in ejus contumelias eruperint, detractis quoque & solo adflictis ejus imaginibus: mox ut ubique ejus tituli eraderentur, aboleretur que omnis memoria decretum.

NERVA.

Haec fuit animorum inclinatio, cum M. Cocceius Nerva, Narniae in Umbria natus, sed Cretensi origine, imperio potitus est, adnitentibus Petronio Secundo, cohortium praetoriarum praefecto, & Parthenio conjuratorum duce. Primus advenarum Romae imperavit; & virtutes, fastigio Caesarum ignotas, ostendit: res olim diffociabiles miscuit, Principatum ac libertatem. Natura, senectute, &, quod bonarum artium feracissimum est, multiplici malorum temporum experientia difficilem regendi artem edoctus, prioris Principatus odia abrogavit. Rei majestatis absoluti: sublata fisci Judaici calumnia: servi ac liberti, qui dominis insidias struxerant, suppliciis subditi: in eos omnes, qui delationes factitaverant, inquiri licuit. At ut mali, sic & boni, est praefervidus & lethi-

Digitized by Google

lethifer quidam impetus. Tanta delatorum turba incondito turbidoque clamore poſtulata ſimul & oppreſſa, ut Fronto, conſul, egregie adverterit, "malum eſſe Principem, ſub quo nihil cuiquam liceat; pejorem tamen eſſe, per quem omnia omnibus licent". Inde Nerva pronos ad vindictam animos inhibuit, eoſque mollivit liberalitate. Reſtitutum quidquid apud fiſcum ſupererat, a Domitiano temere ademptum: egenis civibus Romanis datus ager ad ſexcenties ſeſtertium; lectique ſenatores, qui agrum emerent & dividerent: additum quoque congiarium. Ad levanda imperii onera, conflata ex aureis argenteiſque Domitiani ſtatuis ingens pecuniarum vis. Privatas quoque opes, & Principum praedia, domos, ſupellectilem Nerva diſtraxit, ut reipublicae conſuleret.

AN. V. C. MCCCL. AER. CHR. 97.

Nerva Auguſto III, L. Verginio Rufo III conſulibus. Verginius Rufus, ſpreto triginta ante annos imperio & continua virtutum claritate principem in Urbe locum adſecutus, tertio hoc conſulatu perfunctus obiit, cum annum tertium & octogeſimum exceſſiſſet. Longo illo aevo undecim Caeſares vidit; ita tamen inter Auguſti felicitatem & Trajani

Digitized by Google

virtutes interjectus, ut egregiis hujus imperii temporibus non ſit uſus. Ductum ei publicum funus.

Nerva autem, ad imperii curas intentus, adflictas urbes refovebat; puellas pueroſque egenis parentibus natos per Italiae oppida ſumptibus publicis ali juſſit. Simul ut pluribus neceſſitatibus ſubveniretur, creati quinque viri, qui modum publicis impenſis facerent. Sacrificia, Circenſes ludi, ſpectacula, aliaque id genus, quibus ſub priore Principatu opes profundebantur, circumciſa. Dum talibus curis detinebatur Princeps, penes praetorianum militem flagrabat Domitiani deſiderium. Novas quoque res moliebatur Calpurnius Craſſus. Is deprehenſus, confeſſuſque, Tarentum cum uxore amotus eſt. Hac Principis lenitate arrogantiam cepit Aelianus Caſperius, praetoriarum cohortium praefectus; eoque inſtinctore, Domitiani interfectores ad exitium poſtulantur. Reſtitit quidem Princeps. At, eo neglecto, Petronius Secundus & Parthenius comprehenſi & jugulati. Tum eo audaciae prorupit Caſperius, ut Nervam compelleret referre apud populum gratias militibus, "quia nefando peſſimoſque omnium mortalium peremiſ

Digitized by Google

sent". Tali indignitate Princeps infremuit, sensitque & senectuti suae & reipublicae quaerendum praesidium. Nec illud intra domum adsumpsit; sed M. Ulpium Trajanum, qui praesidebat Germaniae, cunctosque bellicis ac civilibus virtutibus praeeminebat, adoptavit: quartodecimo Kalendas Octobris, cum lauream ex Pannonia allatam in gremio Jovis collocasset, adoptio nuncupata. Trajani vel absentis fama statim restituta Nervae auctoritas, & praetorianorum tumultus consedit.

AN. V. C. MCCCLI. AER. CHR. 98.

Nerva Augusto IV, Ulpio Trajano II consulibus. In hac imperii tranquillitate, Nervae longa decoraque obtingere potuit senectus, si acriorem in vitia impetum esset moderatus. At, dum in Regulum, legibus potius quam verbis puniendum, fervidior invehitur, ita adeo exarsit, ut per omnes ejus artus sudor erumperet: qui cum & hiemis acerbitate & Principis senio fuisset subito restinctus, febris eum corripuit, qua paullo post occubuit; brevi imperio ipsaque mortis causa majorem, quam ullus ante Principum, gloriam nactus. Is enim primus, Caesarum superbiam exosus, civilia professus est studia,

Digitized by Google

cunctaque in publicam utilitatem vertit; & consiliorum magnitudine, legum prudentia, magnificentia operum, Urbis splendore praeoccupavit gloriam, quae sequentem Principatum illustravit. Ejus corpus, a senatu delatum, in Augusti tumulo conditum est: mox deum honores additi.

TRAJANVS

TRAJANVS ab Urbe aberat, firmandae apud Germaniae inferioris exercitus militari disciplinae intentus. Nervam excessisse accepit diligentia Hadriani, qui paullo ante adoptionem ei gratulatus, tum in Germania superiore agebat, tanto alacrior, ut imperium primus nuntiaret, quod Trajani esset consobrinus, eumque, mortuo patre, tutorem habuisset; pro filio ipse etiam habitus, donec ob vitam juvenili libidine vagam gratia excidit. Inde magis sollicitus, ut prioris culpae oblivia mereretur, & vacuum Principis animum occuparet. Servianus, sororis vir, qui ejus luxum ganeamque olim arguerat, odiaque ei moverat, eum detinere, dein fracto consulte vehiculo retardare frustra enisus est: Hadrianus, pedibus iter adgressus, Serviani

Digitized by Google

beneficiarium antevertit. Paullo poſt allatae ſenatus literae.

Nihil prioris vitae conſiliorumve mutavit Trajanus. Quam inire vellet imperii rationem, ad ſenatum ſcripſit, teſtatus proborum quemque tutum fore, ſe eorum nullum aut morte, aut ignominia adfecturum. Simul conſuluit auctoritati; & Aelianum Caſperium, praetorianoſque ejus inſolentiae adverſus Galbam ſatellites, ab Urbe accivit, ſceleriſque admonitos interfici juſſit. Ea ſeveritate Nervam ultum ibat; ſuum quoque muniit Principatum, cujus turbida forte fuiſſent initia, quod nec in Urbe, nec in Italia, ſed Italicae in Hiſpania natus, imperium capeſſeret: eique familia antiqua magis, quam clara, cui pater conſulatum primus intulerat. At ſplendorem amoremque ſtatim addidit Principis virtus: verſis ad admirationem omnium animis, ubi memorandum percrebuit dictum, quo Saburanum, quem praetoriis cohortibus praefecit, adlocutus eſt. Cum ei inſigne poteſtatis, uti mos eſt, pugionem daret; "Tibi, inquit, iſtum ad munimentum mei committo, ſi recte agam; ſin aliter, in me magis; moderatorem omnium vel errare minus fas eſt". Cuncta poſtea ad eam ſublimitatem compoſita.

Digitized by Google

Idque unum in Principatu egregium reputans, quod virtutum exemplis & immortalitatis neceſſitate poſſet ceteros praeeminere, huc ſuas omnes cogitationes convertit.

Certus militari re ſtare imperii auctoritatem & robur, voluit in caſtris nihil vitiorum, quae ex Neronis temporibus civiliumque bellorum licentia veſanus Domitiani furor revexerat, ſupereſſe. Inertia, contumacia, dedignatio parendi exolevere ipſa Principis praeſentia, qui imperator ſimul & commilito omnes imperio & exemplo continebat. Revaluit ducum auctoritas: viguere militum exercitationes & obſequia: moreque militiae, quae uno citiſſimoque impetu, ut ad malum, ſic ad rectum rapitur, reformata haec caſtra ceteris legionum caſtris ſe reformandi voluntatem & facilitatem indidere. Jam ardebat miles ſuas vires experiri, ulciſci veteres injurias, & Principem, paternis ſuiſque bellicis factis illuſtrem, triumphi gloria condecorare. At Trajanus, reſtituta militari diſciplina laetus, eos motus compoſuit, in hoc tum firmus illam eſſe veram Principum gloriam, ut nec timeant bella, nec prόvocent. Altiore adhuc detinebatur cura: nempe trans Rhenum inteſtinis diſſidiis laborabat Germa-

Digitized by Google

nia. Bructeri, vicinis nationibus inviſi, nuper fuerant ſedibus pulſi ac penitus exciſi. Super ſexaginta millia non armis teliſque Romanis, ſed ſuo furore ſuique odio ceciderant. Melius utiliuſque viſum per has diſcordias graſſari: longe oſtentare bellum, & ſola Romani nominis fama ferociſſimas gentes compeſcere. Quod quidem ita valuit, ut numquam ſecuriores fuerint imperii fines, cum terrore munirentur.

AN. V. C. MCCCLII. AER. CHR. 99.

Cornelius Palma & Sofius Senecio conſulatum iniere. Quod iis datum humanitate Principis, tum ut privatorum virtuti locus ac praemia manerent, tum ut inſigni exemplo pateret, mutata eſſe tempora, quibus Principes conſulatus extorquebant & continuabant.

Emendatis autem caſtris, Trajanus profectus eſt Romam, quo eum vocabant civium ſtudia & ipſa rerum neceſſitas: fruſtra enim adverſus externos hoſtes rempublicam tutabatur, ſi interna vitia invaleſcerent, quae Urbem primum, dein provincias peſſumdabant. Ejus iter placidum fuit ac modeſtum: nullus in exigendis vehiculis tumultus: nullum circa hoſpitia faſtidium: annona, quae ceteris: comitatus, tali Principe dignus, ac-

Digitized by Google

cinctus & parens. Mirantibus passim populis, qui meminerant, qualis fuisset Domitiani transitus, cum hospitum abactus exerceret, populationem inferret, & ut gulae luxuique sufficeret, omnia dextra laevaque perureret & attereret, ut si vis aliqua externa ac barbara incideret. Placuit Trajano utriusque Principis discrimen observari; nec tam pro sua gloria, quam pro communi utilitate, edicto subjecit, quid in utrumque esset impensum.

Laetior adhuc gratiorque in Urbem ingressus, cum Princeps, non quadrijugo curru, non albentibus equis, non humeris hominum, ut priores invehi & importari erant soliti, at sola corporis proceritate altior aliis & excelsior, ita sedem imperii adiit, ut simul communem patriam veneraretur. Effusa in ejus occursum civitas, viso Principe, laetitiae impotens, in faustas omnes, quas amor gaudiumque reperit, voces erumpit. Patris patriae nomina ingeminat senatus. Titulum, sibi carissimum, at nondum satis meritum, Princeps deprecatur. Novum inde venerationis & amoris certamen: crescit, cum receptus Princeps senatum osculo excipit; equestris ordinis decora honore nominum sine monitore distinguit; ultro salutatis clientibus no-

Digitized by Google

tas addit familiaritatis: adfabilitatem etiam ita intendens, ut ſenſim & placide, quantum reſpectantium turba pateretur, incederet, & occurſantium populus Principi adſtaret. Ipſe non ſtipatus ſatellitum manu, ſed circumfuſus undique nunc ſenatus, nunc equeſtris ordinis flore, prout alterutrum frequentiae genus invaluiſſet, filentes quietoſque lictores ſuos ſubſequebatur. Idem militum, qui & Principis, pudor, eadem tranquillitas, eadem modeſtia.

Ubi ad Capitolium ventum eſt, viſa cuncta altaribus plena, auguſta victimis: auditae voces Jovem Principi, Principem Jovi gratulantium: in ejus ſalutem collata omnium vota. Pari ſtudio Trajanus pro ſe, pro populo, pro imperio precatur; peractiſque ſacris palatium petit, ſed eo vultu, ea moderatione, ut omnes civem potius, quam Principem ſentirent. Accedebat magnum felicitatis publicae ornamentum ſimul ac tutamentum, Plotina & Marciana, haec ſoror, illa uxor Principis, ſanctiſſimae feminae, & rarum in hoc faſtigio, ſibi concordes, atque, in quantum patitur ſexus, Principi ſimiles. Celebrata quoque Plotinae, palatium intrantis, vox, "qualis ingrederetur, talem ſe velle

Digitized by Google

egredi ". Statim earum virtuti datum, ut offerret ſenatus cognomen Auguſtarum, quod eodem animo, quo Trajanus adpellationem patris patriae recuſaverat, ipſa certatim ſunt deprecatae.

Laetiſſimas, ſub talibus auſpiciis, imperii ſpes cumulavit Principis liberalitas. Jam miles partem donativi acceperat. Plebi, cujus urgens erat neceſſitas, totum additum eſt congiarium, & ea quidem cura, quae nondum fuerat viſa. Nemo enim expers fuit munificentiae, ſeu negotiis, ſeu valetudine, ſeu mari fluminibuſve diſtinebatur: ipſi infantes recepti. Supra ſolitum numerum, paullo minus quinque millia ingenuorum hac Principis ſollicitudine conquiſita & adſcita. Neque ea liberalitate, ut ſaepe ante contigit, Princeps redimebat ſcelera, ſed ejus in publicum ſtudia noteſcebant. Aderat & temporis opportunitas. Acrior enim annona, ob inopinam Aegypti ſiccitatem ſterilitatemque, leviter inundante Nilo, metuebatur. At providentia Principis factum, ut non modo Roma Italiaque, ſed & Aegyptus abundaret, eique alimenta, quibus per tot annos populum Romanum paverat, refunderentur.

Neque his impenſis quidquam publicae

Digitized by Google

laetitiae detractum. At editum est spectaculum, paratu magnificum, nec tamen enerve & fluxum, quod animos molliret, sed quod per servorum noxiorumque pugnas ad pulchra vulnera contemptumque mortis accenderet. Libera spectantium studia, securus fuit favor. Nemo ingenuus, nedum eques senatorve, arena foedari jussus: neque impietas fuit crimenve majestatis, si quis odisset gladiatores, aut eos non veneraretur.

His dulcibus illecebris in majus opus tendebat Trajanus. Delatorum audacia vetus erat in Urbe malum, improborum Principum avaritiae gratum, sub bonis numquam satis coercitum: immo apud eos odiosa nomina saepe invaluerant. Eprium Marcellum inter amicos receperat Vespasianus: probrosus Vejento cum Nerva cenabat, atque etiam in ejus sinu recumbebat. Nempe boni venerandique senes sensim & leniter vitia tolli posse confidebant. At Trajanus, ut viridi adhuc aetate, ita & valentioribus consiliis usus, summaque mala extremis tantum remediis curari certus, pestem hanc penitus sublatam exscisamque voluit. Provida ergo severitate agmina illa delatorum, qui templum, qui forum insederant, qui honestissi-

Digitized by Google

morum civium, maxime potentiſſimorum, incertos ſtatus fecerant, eos fortunis ac penatibus deturbaverant, qui fundatam legibus civitatem tot abhinc annis ſubvertebant, undique coacta ſunt: congeſti in navigia raptim conquiſita, ac tempeſtatibus dediti, ut per ventorum ludibria irent, ſcopulis adfigerentur, aut in inſularum aſpera detruderentur, quibus pulſa & inops virtus tamdiu ingemuerat. Neque in hac ſeveritate deſiderata Principis clementia, quae vitam permitteret hominibus, tanto ſanguine, tot caedibus contaminatis. At ſapienter proviſum, ut exſecrabilis eorum furor, mille poenarum indagine incluſus, non in praeſens tantum, ſed in aeternum reprimeretur.

Pace foro reddita, ad altiores curas vertit Princeps: vectigalia, onera publica, imperii neceſſitates introſpexit, ſimul reputans, quantum ſua frugalitas de impendiis demere, reditibus poſſet addere. Haec ſcrutatus, collationes remiſit, temperavit vectigalia, iiſque, quae ſupererant, modum poſuit, quibus fierent toleratiora; reſciſis, quae naturae legibus non conſentirent. Id quidem majores divuſque Auguſtus neglexerant. Et ut major foret Romani nominis reverentia, qui per

Digitized by Google

Latium in civitatem seu beneficio Principis veniſſent, nisi simul cognationis jura impetraſſent, alieniſſimi habebantur, quibus conjunctiſſimi fuerant: inſtitutaque vigesima, bona, licet sanguine, gentilitate, sacrorum societate fuiſſent poſſeſſa, tranſmitti tamen non poterant, quin eorum pars tributo abraderetur. Hanc quidem duritiem jam Nerva mollierat; sancito, ut "quod ex matris ad liberos, ex liberorum bonis perveniſſet ad matrem, etiamsi cognationum jura non recepiſſent, cum civitatem adipiscerentur, ejus vigesimam ne darent". Eamdem immunitatem in paternis bonis filio tribuerat, si modo reductus eſſet in patris poteſtatem.

Addidit Trajanus, "ut, quemadmodum in patris filius, sic in hereditate filii pater eſſet immunis": exceptionem quoque removit, "si modo filius in poteſtate patris fuiſſet": intuitus sane vim legemque naturae, quae semper in ditione parentum eſſe liberos juſſit, nec uti inter pecudes, sic inter homines poteſtatem & imperium valentioribus dedit. Nec contentus primum cognationis gradum abſtuliſſe vigesimae, secundum quoque exemit, cavitque, ut in sororis bonis frater, & contra in fratris soror, utque avus avia in

Digitized by Google

neptis nepotisque, & invicem illi servarentur immunes. His quoque, quibus per Latium civitas Romana patuisset, idem indulsit, omnibusque inter se cognationum jura simul commisit, ut summus civitatis honos nihil naturae detraheret. Ulterius tetendit Principis providentia; statutaque summa, quae publicanum pati posset, caruit onere vigesimae parva & exilis hereditas. Denique ne suum saeculum priorum temporum acerbitate notaretur, adjecit, ut qui ejusmodi ex causis in diem edicti vigesimam deberent, nondum tamen intulissent, non inferrent.

Pari aequitate, ne auditum quidem est majestatis crimen, singulare & unicum eorum, qui crimine vacarent, non tutandis Principibus, sed fisco & aerario locupletandis repertum. Eadem fuit testamentorum securitas: nec umquam nisi ab amicis Princeps scriptus est heres: amicus autem nemo, nisi bonus, nisi constans & integer. Civium recti ac vividi animi placebant & fofebantur. Hi honoribus, sacerdotiis, provinciis attollebantur. Cetera imperii simili gravitate composita. Tum visum est, quod numquam prius annalibus memoratum, utinam quanta admiratione tanta aemulatione postea memoretur! Urbs

Digitized by Google

fine cenſura, ſine praefectura morum, ſolis Principis beneficiis, ſolis virtutibus emendata. Vulgus ipſum Principis diſciplinae capax & aemulum. Ipſum puduit ſuae laſciviae; oravitque ut ſpectaculum pantomimorum, a prioribus Principibus ob immodeſtiam ſaepe pulſum, ſemper a populo repetitum, tolleretur.

Nihil quoque omittebat Trajanus, quo ipſe carior, populus laetior foret. Palatium, arcem illam dominationis, quam *publicarum aedium* nomine divus Nerva jam inſcripſerat, publicum fecit. Patuit omnibus: ibi Princeps cuivis obvius, non aditu tantum facilis, ſed invitans, ſed exſpectans, ſingulis comis & indulgens. Poſt magnam diei partem inter imperii curas tranſactam, remiſſiones, non occultae, ſed oculis expoſitae, coetu, frequentia, ſuavitate ſociales. Cibus ſemper in medio, menſaque communis, & in convictu frugalitas, jucunditas, mutui ſermones, liberales joci, & ſtudiorum honor. Inde parcus breviſque ſomnus, quem novae curae, nova excipiebat humanitas.

Nec ſatis fuit, ſi ſe totum Princeps utilitati publicae impenderet; voluit, ut in eamdem utilitatem voluptatemque cederet priorum temporum luxus, ſibi inviſus, imperio

Digitized by Google

gravis. Arctata ergo immenſa illa terrarum ſpatia, quibus in una ſua domo urbes, flumina, ſtagna, ſilvas concluſerant Principes, incredibilium cupidi. Circumlata tabula ingens rerum venalium, quas effrena eorum cupiditas undique corrogaverat. Licuit domos, villas, ſuburbana emere, quas ob inquietum animum gravemque conſcientiam, ut totidem latibula, in infinitum paraverant. Amicis etiam amoeniſſima quaeque elargitus eſt, amicitiae quidem pignora, ſed & ſimul virtutis praemium & incitamentum.

Quantum privatis Principum opibus detraxerat, tanto in publicum liberalior, templa, porticus, vetera monimenta, vetuſtate, caſu, negligentia, invidia, dilapſa aut corrupta repoſuit reſtituitve. Aucto quoque, ut memoravimus, congiarii facilitate populo, locorum quinque millia circo addita; immenſumque circi latus, incendio ſub Nerone Principe labefactum, tanta magnificentia refectum eſt, ut templorum pulchritudinem provocaret: longe majori tamen ſpecie, quod tum aequatus in hac populi victoris gentium ſede plebis ac Principis locus, nec cubiculum Principis, ſed ipſe Princeps cerneretur, in publico, in populo ſedens.

Mirum

Digitized by Google

Mirum ut in hoc imperii ſplendore erupit
mpetus procreandi & educandi liberos, qui
on in immitia, ſed in laetiſſima tempora creſ-
erent & adoleſcerent: egregium reipublicae
ubſidium, ſub bonis Principibus ſemper pa-
atum, cura Trajani adhuc amplificatum, &
n ſeras aetates diffuſum. Nihil enim omiſit,
ıt vitam virtutemque extenderet. Medendi
ırs praemiis & immunitatibus incitata. Idem
ollatum grammaticis, rhetoribus, philoſo-
his, qui ingenia moreſque juventutis forma-
ent.

Ab ortu imperii nondum fuerat tanta ad-
mirationis laudumque materies. Iis jam per-
ſonabant theatra: vetuit Princeps; hiſque in
locis, quae adulatio libidoque tamdiu foeda-
verant, voluit de ſe fileri. Senatum quoque
coercuit, qui arcus, tropaea, ſtatuas affatim
vetere de more offerebat. Ne tamen mode-
ſtia contemptu honorum in adrogantiam ver-
teret, ſtatuam unam alteramve, & hanc
aeream, in veſtibulo Jovis Capitolini ſibi poni
permiſit. Quo temperamento egregie pro-
vidit, ut virtutum monimentis honos mane-
ret, dum ea, quae vanitas, ſcelus & impie-
tas, auro, argento, per fora, per templa,
paſſim ante ſacraverant, ridebantur & abole-
bantur.

Digitized by Google

AN. V. C. DCCCLIII. AER. CHR. 100.

Trajano Auguſto III, Cornelio Frontone III conſulibus. Proximus annus raras Principibus, tertius hic conſulatus ne notas quidem virtutes explicuit. Hactenus Principes conſulatum uſurpaverant, ut cuncta imperio parerent, eum recepit Trajanus, ut pareret legibus. Nec umquam certius fuit reſtitutae libertatis argumentum, quam cum Princeps, privato ſimilis, campum adiit, candidatus comitiis ſuis interfuit; peractiſque eorum ſollemniis, deſignatus conſul acceſſit ad conſulis ſellam: eo ſedente, ipſe, Imperator, Caeſar, Auguſtus, Pontifex maximus, ſtetit ante ejus gremium: praeeunte conſule, juravit, expreſſitque verba, quibus caput ſuum, domum ſuam, ſi ſcienter fefelliſſet, deorum irae conſecraret. Dein cum conſulatum iniret Kalendis Januariis, nullo jam praeeunte, in roſtris ſimili religione ipſe ſe legibus ſubjecit: mox tertio Idus Januarias, cum vota nuncuparentur pro aeternitate imperii, pro ſalute civium, pro ſalute Principis, numquam obliteranda verba addidit, "ſi bene rempublicam & ex utilitate omnium rexero".

Major adhuc viſus, cum comitia obivit. Candidatos exemplo ſuo ſatis docuerat, ut

Digitized by Google

ſenatum revererentur; ne eorum animi perſtringerentur Principatus ſplendore, eos adhuc hortatus eſt, "ut ſenatui ſupplicarent, atque ita a Principe ſperarent honores, ſi a ſenatu petiſſent". Tum anxia ei fuit ſollicitudo, ut ſi quid uſquam poſt tot ſtrages ſtirpis antiquae, ſi quid reſiduae claritatis foret, illud in uſum reipublicae promeret, debitumque generi honorem, vel antequam deberetur, offerret: nec minor induſtria, ut quos nondum ſanguis, jam virtus nobilitaverat, promoverentur. Ipſe erat laudator, ut quod egregium, licet longe & in provinciis, praeſtiterant, noteſceret: gnarus nempe gratiſſimam eſſe virtuti mercedem, ſi a Principe laudetur; & ad aemulandum accendi animos, ſi ſciverint, nihil laudabiliter actum Principem celari, paratum ſemper ejus teſtimonium, huncque honoris & gloriae campum omnibus patere.

Quos tam impenſe foverat, nova extulit comitate. Candidatos enim, ſenatus adſenſu probatos, ſua voce renuntiavit: ut quemque nominabat, non adfixus curuli manum tantum, & hanc cunctanter & pigre, & imputanti ſimilis, uti prius fuit ſolitum, prompſit, ſed oſculo occurrit, devexus in

Digitized by Google

planum, & quasi unus ex gratulantibus. Perculsis animis insolita humanitatis specie, qua Princeps & candidatus aequales & simul stantes videbantur, instinctu quodam & virtutis imperio exsiliere patres, & a cuncto senatu acclamatum est, "tanto major! tanto augustior"! Erubuit Princeps; demisit vultum; humescentibus stillantibusque oculis, precatus est, "ut illa ipsa ordinatio comitiorum bene ac feliciter eveniret senatui, reipublicae, sibi". His Principis lacrimis, talibus votis, admiratio, laetitia, caritas ardescit: unanimis erumpit acclamantium impetus, "o te felicem! o nos felices! crede nobis! crede tibi! Sic te ament dii, quemadmodum tu nos". Nondum vel regum imperia, vel felix libertas, vel Caesarum magnificentia hanc laetitiam talesque voces expresserant. Ne qua faustissimum diem interciperet oblivio, simul ut ejus memoria futuri Principes onerarentur, haec comitia in publica acta mittenda & incidenda in aere senatus censuit: annuit Princeps, sui securus, & quod omnes gauderent laetus.

Idem fuit totius consulatus tenor. Trajanus frequens in campo, in foro frequentior, assiduus in tribunali, omnes consulis partes

Digitized by Google

ſuſtinere: religione aequitatis, legum reverentia tueri cujuſque jura: in cognitionibus mitem ſeveritatem non diſſoluta clementia attemperare: ſingulis magiſtratibus ſuam auctoritatem non imminuere, ſed augere: pleraque ad praetores remittere, quos etiam collegas vocabat; populare gratumque nomen, & ex ore Principis, non irridentis, ſed ita ſentientis, amicum pariter & honorificum.

His tamen anni initiis nihil magis probavit conſularem Trajani patientiam, quam triduum totum in cauſa Marii Priſci inſumptum. Avaritia magiſtratuum, ſingulare vitium, malorum Principum terrore melius, quam bonorum vigilantia repreſſum, ſub Nerva Principe recruduerat; ſenili ejus auctoritate irritatum & audax. Duo homines, Marius Priſcus & Caecilius Claſſicus, iis ſordibus infames: conſularis alter, alter ſenator: ille ex Baetica, hic ex Africa oriundus. At, mutatis invicem locis, licentius, ut extra patriam, ſaevierant.

Afri, quibus Marius proconſul praefuerat, eum accuſavere. Is, manifeſtis criminibus irretitus, judices petiit. Ego (abſit verbo injuria; non me vanitas, ſed rerum neceſſitas Hiſtoriae inſerit) & C. Plinius, Afris ad-

Digitized by Google

esse jussi, existimavimus fidei nostrae convenire, notum senatui facere, "excessisse Priscum immanitate & saevitia crimina, quibus dari judices possent: cum ob innocentes condemnandos, interficiendos etiam, pecunias accepisset". Respondit Fronto Catius, deprecatusque est "ne quid ultra repetundarum legem quaereretur": vir, movendarum lacrimarum peritus, orationem miseratione implevit. Magna inde contentio, magni utrimque clamores: aliis "cognitionem senatus lege conclusam", aliis "liberam solutamque" dicentibus, "quantumque admisisset reus tantum vindicandum". Cum ita ferverent animi, consul designatus, Julius Ferox, vir rectus & sanctus, "Mario quidem judicem interim censuit dandos: evocandos autem, quibus diceretur innocentium poenas vendidisse". Venerunt, qui adesse erant jussi, Vitellius, Honoratus & Flavius Martianus, ex quibus Honoratus "trecentis millibus exsilium equitis Romani, septemque amicorum ejus ultimam poenam": Martianus "unius equitis Romani septingentis millibus plura supplicia arguebatur emisse": erat enim fustibus caesus, damnatus in metallum, strangulatus in carcere. Honoratum cognitioni

Digitized by Google

ſenatus mors opportuna ſubtraxit: Martianus inductus eſt, abſente Priſco. Tutius Cerealis, conſularis, jure ſenatorio poſtulavit "ut Priſcus certior fieret": incertum miſerationem an invidiam ejus praeſentia vellet movere: forte tamen ratus, aequiſſimum eſſe, commune crimen ab utroque defendi; &, ſi dilui non potuiſſet, in utroque puniri. Dilata res eſt in proximum ſenatum. Magna jam erat ob cauſae amplitudinem exſpectatio & fama: crevere dilatione. Celebritatem addidit Princeps, conſul & praeſes, ſenatuſque, ut Januario menſe frequentiſſimus. Movit & ipſe rei ſqualor. Stetit enim Priſcus, modo conſularis, modo ſeptemvir epulonum, jam neutrum.

Cauſam orſus eſt Plinius: dixit horis paene quinque, magno audientium adſenſu, tantaque Principis ſollicitudine, ut oratorem per ejus libertum, poſt eum ſtantem, ſaepius admonuerit, "voci laterique parceret". Reſpondit pro Martiano Claudius Marcellinus. Miſſus deinde ſenatus, ne ſi inchoaretur Marii defenſio, noctis interventu ſcinderetur. Poſtero die dixit pro Mario Salvius Liberalis, vir ſubtilis, diſpoſitus, acer, diſertus. Reſpondi ea, quam cauſa locuſque ſuadebant,

Digitized by Google

eloquentia & gravitate. Rursus pro Mario dixit Fronto Catius insigniter: utque jam locus ille poscebat, plus in precibus temporis, quam in defensione consumpsit. Hujus actionem vespera inclusit, non abrupit. Itaque in tertium diem probationes exierunt. Pulchrum sane & antiquum, senatum nocte dimitti, triduo vocari, triduo contineri. At egregium, Principem tamdiu sedisse, nihil praeter consulem egisse; &, quod rarum magis, tutum fuit cuique interrogare, quod placuit, dissentire, discedere, copiam judicii sui reipublicae facere. Consulti sunt omnes, atque etiam dinumerati; vicitque sententia, non prima, sed melior.

Censuit enim Cornutus Tertullus, consul designatus, vir egregius & pro veritate firmissimus, "septingenta millia, quae acceperat Marius, aerario inferenda: Mario Urbe Italiaque interdicendum: Martiano hoc amplius, Africa". In fine sententiae adjecit "Plinium & Tacitum injuncta advocatione diligenter fortiterque functos esse: arbitrari senatum, ita eos feciisse, ut dignum mandatis partibus fuerit". Adsenserunt consules designati, omnes etiam consulares, usque ad Pompeium Collegam. Ille "septingenta mil-

Digitized by Google

lia, quae acceperat Marius, aerario inferenda, & Martianum in quinquennium relegandum: Marium poenae, quam jam paſſus eſſet, cenſuit relinquendum". In molliorem hanc ſententiam plures iere, quidam etiam ex iis, qui Cornuto videbantur adſenſi, Collegam ſecuti ſunt. Sed cum fieret diſceſſio, qui ſellis conſulum adſtiterant, in Cornuti ſententiam ire coeperunt. Tum illi, qui ſe Collegae adnumerari patiebantur, in diverſum tranſierunt. Collega, cum paucis relictus, multum poſtea de impulſoribus ſuis, praecipue de Regulo, queſtus eſt, qui ſe in ſententia, quam ipſe dictaverat, deſeruiſſet. At Regulo, homini malefico, quem ſaepe memoravimus, mobile ingenium: ut plurimum audebat, plurimum timebat. Hic finis fuit cognitionis ampliſſimae, quam Plinium, hujus temporis res elegantiſſimis epiſtolis complexum, ſecutus, fuſius tradidi, ut palam fieret, quantum mutata eſſent ea tempora, quibus unus ſoluſque cenſebat, ceteros manebat muta ac ſedentaria adſentiendi neceſſitas.

Superérat quidem Hoſtilius Firminus, legatus Marii Priſci, permiſtus cauſae, nunc vero caſu an conſcientia abſens. De eo relatum proximo ſenatu. Probatus eſt rationi-

Digitized by Google

bus Martiani, & sermone, quem ille habuerat in ordine Leptitanorum, operam suam Prisco ad turpissimum ministerium commodasse, stipulatus quoque de Martiano quinquaginta millia denarium: praeterea comptus semper & pumicatus, sestertium decem millia foediss. unguentarii nomine acceperat. Evictis criminibus de poena secutae sunt diversae sententiae consulum designatorum. "Ordine movendum" censuit Cornutus Tertullus: Nerva "in sortitione provinciae rationem ejus non habendam". Quae sententia, tamquam mitior, vicit. Altera tamen in publicum magis decora. Congruens enim hominem, notatum a senatu, & damnatum sordium, in senatu non sedere.

Caecilii Classici causa major fuit reorum numero; minor tamen claritas, licet una tantum civitas paucique privati Marium Priscum postulassent, tota vero Baetica in Classicum incumberet. At is propera morte pudorem damnationis fugerat: quod cognitionis famam minuit, odia non restinxit. Nam Baetica in defuncti accusatione perstitit. Provisum hoc legibus, intermissum tamen, & post longam intercapedinem tunc reductum.

Digitized by Google

Adfuere Baeticis C. Plinius, modo memoratus, & Lucceius Albinus, vir dicendo copioſus, ornatus. Ne evaderent, quos Claſſicus ſocios miniſtroſque habuerat, neceſſe fuit Claſſicum nocentem oſtendere, & miniſterium crimen eſſe probare. Utrumque peractum eſt; & manifeſta erant Claſſici crimina. Sua enim manu reliquerat ſcriptum, quid ex quaque re, quid ex quaque cauſa accepiſſet. Vulgatae quoque ejus epiſtolae, Romam ad amiculam miſſae, jactantes & glorioſae, his verbis: "Io, Io, liber ad te venio: jam ſeſtertium quadragies redegi, parte vendita Baeticorum". In hanc proterviam animadverſum. "Bona Claſſici, quae habuiſſet ante provinciam", placuit ſenatui "a reliquis ſeparari: illa filiae, haec ſpoliatis relinqui". Additum eſt, "ut pecuniae, quas creditoribus ſolverat, revocarentur".

Duos provinciales, in accuſatione junctos Claſſico, Baebium Probum & Fabium Hiſpanum, utrumque gratia, Hiſpanum etiam facundia, validum, defendere fruſtra tentavit Claudius Reſtitutus, vir exercitatus & ſubitis paratus. Hiſpanus & Probus in quinquennium relegati ſunt. Poſt paucos dies Clavius Fuſcus, Claſſici gener, & Stillonius

Digitized by Google

Priſcus, tribunus cohortis ſub Claſſico, accuſati ſunt, diſpari eventu. Priſco in biennium Italia interdictum: abſolutus eſt Fuſcus. Actione tertia plures inducti, ne ſi longius eſſet extracta cognitio, ſatietate & taedio quodam juſtitia cognoſcentium ſeveritaſque langueſceret. In hac turba, quidam abſoluti, plures damnati, atque etiam relegati, alii in tempus, alii in perpetuum. Uxor Claſſici, Caſta nomine, ſuſpicionibus implicabatur: nondum tamen convincebatur, cum quidam ex teſtibus Norbanum Licinianum, legatum & inquiſitorem a Baeticis miſſum, non tamquam bonum & fidelem, ſed tamquam Claſſici inimicum, & ab illo relegatum, reum poſtulavit, quaſi in cauſa Caſtae praevaricaretur. Lege quidem cautum eſt, ut reus ante peragatur, tunc de praevaricatore quaeratur. Optime enim ex accuſatione ipſa aeſtimatur accuſatoris fides. At Norbanus, homo alioqui flagitioſus, & Domitiani temporibus uſus, tanta conflagravit invidia, ut non ordo legis, non legati nomen, non inquiſitionis officium praeſidio fuerit. Immo dari ſibi diem ad diluenda crimina fruſtra poſtulavit. Coactus eſt ſtatim reſpondere. Confidenter incertum an conſtanter

Digitized by Google

(adeo pravum fuit hominis ingenium) certe paratiſſime reſpondit. Objecta ſunt multa, quae magis, quam praevaricatio, nocuerunt. Duo etiam conſulares, Pomponius Rufus & Libo Frugi, laeſerunt eum teſtimonio, tamquam apud judicem, ſub Domitiano, Salvii Liberalis accuſatoribus adfuiſſet. Damnatus itaque & in inſulam relegatus eſt.

Tum Plinius iterüm Caſtam adgreſſus eſt; nihilque magis preſſit, quam quod accuſator ejus praevaricationis crimine corruiſſet. Non vicit. Contrarium tamen & novum, ut, accuſatore praevaricationis damnato, rea abſolveretur. At prona in feminam indulgentia ſenatus; forte & juvere crimina, praeter praevaricationem, Norbano objecta. Summo die Salvius Liberalis, natura vehemens & diſertus, ſuiſque periculis in ſuſpiciones praeceps, reliquos legatos graviter increpuit, tamquam non omnes, quos mandaſſet provincia, reos peregiſſent. Viris optimis, jam in diſcrimen adductis, ſubvenit Plinius, in hac, ut in Priſci cauſa, ſenatus teſtimonio probatus. Forenſibus ejus laudibus acceſſit conſulatus faſtigium, prioribus etiam temporibus praecipuum, ſed Trajani virtutibus adhuc nobilitatum. Qua enim modeſtia eum

Digitized by Google

gesserat, eadem posuit, pro concione, pro rostris, & sollemni jurejurando "se nihil contra leges feciſſe". Eam dignitatem cepit Plinius Kalendis Septembribus. Gratias egit Principi ingenioſe & facunde. Exstat oratio, in qua magna oratoris ars, major eminet Principis virtus. Id enim facundiam inter & eloquentiam intereſt, quod haec commendet virtutes, illa commendetur virtutibus.

Interim venere bellorum nuntii: nec Principem imparatum reperere. Nihil enim inter pacis otia militaris duritiei omiſerat Trajanus: ſolitus per Urbem pedibus ingredi; &, ſi quid remiſſionis permitterent publica negotia, venatu corpus exercere, luſtrare ſaltus, excutere cubilibus feras, ſuperare montium juga, horrentibus ſcopulis gradum inferre, nullius manu, nullius veſtigio adjutus: aut, ſi ad mare diverteret, naves conſcendere, gubernaculis adſidere, cum valentiſſimo quoque ſodalium certatim frangere fluctus, domitare ventos reluctantes, remiſque transfretare obſtantia freta. Certus corpora otio marceſcere, valeſcere exercitiis; decorum eſſe Principi, ut vel ejus voluptates belli memoriam imaginemque referant: alioquin in belli cogitationes defixus, quod ſci-

Digitized by Google

ret ſummam hanc eſſe Principum artem, ut pace bellum parent, bello pacis ſecuritatem faciant. Ceterum cuncta in imperio erant valida: in exercitibus diſciplina, in foro aequitas, in provinciis abundantia, in aerario opes. Ubi igitur auditum eſt Decebalum, Dacorum regem, ſaepe nobis memoratum, Trajani abſentia extolli, ingentem hominum vim armari, bellum ſtatim decretum eſt. Commeatus aliaque bello neceſſaria properari juſſa. Praeter naturam militaris gloriae avidam, ardebat Trajanus illatas Romano nomini ſub Domitiano Principe injurias ulciſci, & rempublicam ignavis pecuniis, quae per ſingulos annos barbaris pendebantur, abſolvere. Exſcindendam quoque reputabat gentem, in bella ſemper pronam, corporum vi, &, quod ferocius, ſpe aeternitatis ac melioris vitae, quam eorum animis indiderat Zamolxis, apud eos numinis loco habitus.

Inter hos belli adparatus, obiere Silius Italicus & Valerius Martialis, duo aetatis ſuae ingenia, mediocritatem non egreſſa. Hic, Bilbili in Hiſpania oriundus, ut ferebat literarum, quas coluit, jocoſum genus, plus laudis quam fortunae obtinuit; in notandis vitiis ſat lepidus, in vitandis haud ita felix:

Digitized by Google

cum alios in Urbe irriſiſſet, ipſe in patria irriſus triſtem vitam finivit. Contra Silio Italico omnia fuere, praeter ingenium: opes, honores, &, quae rariora ſunt, potentia ſine invidia, & in magna fortuna literarum amor & cura. At dum Virgilium, quem praecipua religione colebat, imitari audet, exemplo fuit, promptum eſſe praecellentes viros venerari, imitari arduum; cunctaque praeter ingenium eſſe fortunae obvia. Neronianis temporibus ambigua vixit fama, quod crederetur ſponte accuſaſſe. In Vitellii amicitia ſapienter & comiter ſe geſſit. Ex proconſulatu Aſiae reportata gloria, maculam veteris induſtriae laudabili otio abluit; fuitque inter principes civitatis, vitam aut ſcribendo, aut doctiſſimis ſermonibus terere ſolitus. Poſt ſuadentibus annis, in amoeniſſimo Campaniae ſeceſſu ſe continuit. Plures ibi ei villae, quarum, cum inconſtans ſit elegantiarum *libido* & facilis opulentiae ſatietas, adamatis novis, priores negligebat. Multum ubique librorum, multum ſtatuarum, multum imaginum. In hac eruditi luxus tranquillitate, inſanabili clavo diſcruciatus, doloriſque impatiens, mortem inedia properavit. Annum quintum & ſeptuageſimum exceſſit. Haud magna

certe

Digitized by Google

certe mortalitate, ipse tamen novissimus a Nerone factus consul, postremus ex omnibus, quos Nero consules fecerat, decessit.

AN. V. C. DCCCLIV. AER. CHR. 101.

Trajano Augusto IV & Sexto Articuleio Paeto consulibus. Senatus Trajanum exoraverat, ut quartum hunc consulatum sumeret. Ejus initia insignivere leges, quibus obviam itum cupiditati, ne quid libertatem impediret. Senatusconsulto Articuleiano cautum est, "ut de fideicommissa libertate praesides provinciarum in provinciis cognoscerent, licet heres non foret ejus provinciae". Alterum postea, cum suffecti fuissent consules Rubrius Gallus & Coelius Hispo, additum est senatusconsultum, "ut si hi, a quibus libertatem praestari oportet, evocati a praetore, adesse noluissent: si, causa cognita, praetor pronuntiasset, libertatem his deberi, eodem jure status servaretur, ac si directo manumissi essent".

Haec inter clarior dignaque his temporibus acta est causa. Gymnicus agon apud Viennenses ex testamento celebrabatur. Hunc Trebonius Rufinus, vir egregius, in duumviratu suo tollendum abolendumque curavegat. Cum negaretur ex auctoritate publica

Digitized by Google

feciſſe, cognitio coram Principe inſtituta Trebonius egit ipſe cauſam non minus feli citer, quam diſerte. Dein cum rogarentu ſententiae, dixit Junius Mauricus, natur & obitis ſub Domitiano periculis, virtutis & veritatis firmus, "non eſſe reſtituendun Viennenſibus agona". "Vellem etiam", ad jecit, "Romae tolli poſſe". Placuit agon tolli, qui mores Viennienſium infecerat Majori cum labe manſit in Urbe, quae e amplitudinis & licentiae exceſſit, ut vitiis fi continenda.

His perfunctus curis, Trajanus Dacian profectus eſt. In Romana ripa adgeſta jam erat ingens frumenti & commeatuum copia. Nec Decebalus, audito non per legatos, ſed ab ipſo Trajano ſe peti, quidquam tentare auſus eſt. At, ut mos eſt barbaris, quanto ante in audaciam, tanto in pavorem tunc pronior, ſuis ſe montibus abdidit, ut loco rum difficultate & inſidiis falleret. Itaqu ubi primum Trajanus advenit, tranſvect commeatus; conſtratoque navibus Danubio impoſitoque ponte, trajectus exercitus. Tum Princeps, hoſtile ſolum ingreſſus, poſt initam de ſumma belli conſultationem, ſuovetauri libus deos propitiavit. Dein milites adloca

Digitized by Google

tus, caſtra muniri jubet, ne quis ſit occaſioni locus: ipſe ubique praeſens, operas conſiliis juvat, dictis accendit; &, cum amnibus paſſim interſepta eſſet regio, aut derivatae aquae, aut pontes additi, ut ferebat locorum natura, & itinerum neceſſitas. Interim exploratores miſit, qui hoſtium poſitus vireſque ſcrutarentur. Horum duo intercepti, & ad Trajanum adducti, ubi ſui latitarent, docere coacti ſunt. Penetranda erat ſilva: ne incedentem militem moraretur, aut pugnantem impediret, exciſa eſt. Tum legiones in hoſtem ductae. In conſpectu ſtetere acies: Romana, aperto in campo, ſolitis armis, & fulgentibus aquilis inſignis: hoſtes, ſaltu defenſi, gladiis, fudibus, ſagittiſque armati, ſua inter vexilla ferarum monſtra geſtantes. Gravi proelio dimicatum eſt. Romanorum impetum equitatu adjutum non ſuſtinuere Daci; ingenſque ſtrages edita. Trajano adlata caeſa ducum capita. Is terrore utendum ratus, hoſtium capita contis praefigi exponique juſſit; eorumque caſtra flammis aboleri. Tum milites concione laudavit, & ut feliciter coepta grandioribus auſis promoverent, adhortatus eſt.

Barbari, ſua clade territi, ſtatim Trajanum adiere, pacem orantes. At is certus

Digitized by Google

quanto nunc demiſſiores, tanto ferociores fore, ni graviore bello mulctarentur, eos acriter increpuit, veteriſque perfidiae admonuit: "inſtare ſemper ſceleri poenas: fat magno ſanguine illud nondum fuiſſe expiatum. Scirent, populum Romanum ſubjectis populis parcere, conſulere amicis, at ſuperbos & divini humanique juris neſcios contundere: eos non ſua tantum, ſed externa quoque bella provocare auſos: nunc quoque ituros in exemplum, ut eorum cladibus diſcerent gentes, quanto cum diſcrimine lacefferetur Romana pax. Irent ergo; belli aleam experirentur; ferro flammaque vaſtandam regionem defenderent". Ita dimiſſos mox ſecutus eſt Romanus miles: abditos receſſus ſpecuſque rimatur; & quidquid repertum, occidione deletum. Has inter ſtrages barbaros furor occupat: ipſi facibus armati diſcurrunt, ſuaque tecta ignibus populantur: pecudes, armenta contrucidant; in ſe ipſos ſaeviunt, nihil ſibi perire rati, quod Romanorum manus effugerit. Matres, relictis penatibus, diffugiunt, liberos, cariſſima pignora, amplexae, & in vicinum amnem ultro praecipites, ſi aliud non ſit effugium. Adverſus hunc furorem haud immota perſtitit optimi

Digitized by Google

Principis clementia. Ipſe accurrit, feminas adloquitur, orat "ne pereant: ſe de ſontibus poenas repetere: inſontibus eſſe praeſidio: eas ſexu, liberos innocentia ſatis defendi: vivant, patrias terras retineant; nec verbis, ſed beneficiis credant, ut Romani nominis amorem induant". At incaſſum: nihil movet feminas furore & dolore amentes: manus retinentis militis eluctantur, periculaque laceſſunt, nihil ſollicitae, dum communi ſuorum fato vivant aut occumbant. Interim Dacorum equites pediteſque amnem tranando ſuperare adlaborant: multi aquis obruuntur; alii in ulteriorem ripam aegre enatant, ſuorumve manibus attrahuntur. Pars Daciae occupata manet victoribus, qui, exacta jam aeſtate, in hiberna ſe recipiunt; &, ne quid per hiemem auderent barbari, in eorum ripa munita caſtra: ſimul ut labores voluptatibus levarentur, exſtructum amphitheatrum: poſituſque arcus, victoriae monimentum: Principi additum *Dacici* cognomen.

Antequam Trajanus ex Urbe diſcederet, repetundarum reus jam agebatur Julius Baſſus, qui Bithyniam proconſul rexerat. Vir minime malus, nec ullis avaritiae ſordibus inquinatus, incaute tamen natali die Principis &

Digitized by Google

Saturnalibus munuſcula, quod lege etiam vetitum, acceperat miſeratque. Haec exaggerabat Theophanes, unus ex Bithyniae legatis. Ad hanc cauſam tanto arrectior fuit civitas, quanto magis vacua, abſente Principe. Multos quoque movebat moeſta & ſqualida ſenectus Baſſi, quem ſaepius in pericula revocatum dolebant. Accuſatus enim ſub Veſpaſiano, & ad ſenatum remiſſus, diu pependerat, antequam abſolveretur. Titum timuerat, ut Domitiani amicus: dein a Domitiano relegatus eſt: revocatus a Nerva, ſortituſque Bithyniam, in diſcrimen rurſus adducebatur. At acriter accuſatus, fideliter quoque defenſus fuit. Et, licet ex ſeveritate legis, cenſuiſſet Baebius Macer, conſul deſignatus, lege repetundarum Baſſum teneri; praevaluit tamen Caepionis Hiſponis ſententia, "ſalva Baſſi dignitate, judices dandos". Immo ita placuit ſenatui, in facto, vetito quidem, non tamen inuſitato, jure ſuo uti, quo valet & mitigare leges & intendere, ut Caepioni, ad cenſendum conſurgenti, acclamatum ſit, quod ſolet reſidentibus. Valerius autem Paullinus non tantum adſenſus eſt Caepioni, hoc amplius cenſuit "referendum de Theophane, cum legationem renuntiaſ-

Digitized by Google

set". Arguebat enim "multa in accusatione feciſſe, quae illa ipsa lege, qua Bassum accusaverat, tenerentur". Hanc sententiam consules, quamquam maximae parti senatus probabatur, non sunt persequuti; sane ne infringeretur legatorum auctoritas. Paullinus tamen & justitiae famam & constantiae tulit. Misso senatu, Bassus magna hominum frequentia, magno clamore, magno gaudio exceptus est. Dignitatem nempe & venerationem addit nomen periculis notum.

Agrippa, rex, mortem obiit. Romanis rebus magis, quam externum hominem decebat, sub Caio Claudioque Principibus fuerat immixtus: laudem tamen postea meritus ob fidem & constantiam in Judaico bello, cum socius Vespasiano Titoque adfuit. Tristior fuit Helvidiarum sororum casus. Utraque a partu, utraque filiam enixa decessit. Praeter juventutem moresque honestissimos, eas in summo claritatis fastigio collocaverat egregia patris avique virtus & numquam intermoritura memoria. Moerorem anxiamque sollicitudinem addebat ex optimo sanguine unicus frater superstes.

AN. V. C. DCCCLV. AER. CHR. 102.

C. Sosio Senecione III, L. Licinio Sura

Digitized by Google

conſulibus. Decebalus, reparato per hiemem exercitu, excitiſque in auxilium Sarmatis, caſtra, Tapis vicina, obſidione cinxit. Haec quidem pulcherrima bellorum pars vulgo barbaris ignara, ob rude ingenium & machinarum inopiam. Ejus uſum arteſque ſuperioribus adverſus Domitianum bellis Daci didicerant. Jamque caſtrorum muros pars ariete quatiebat, dum alii ſagittis Romanos petunt, qui e murorum ſummo propinquos hoſtes & machinas obruere conantur. Ubi Trajanus caſtrorum neceſſitatem audivit, ſtatim profectus eſt, opem laturus; &, ne retardaretur, jumenta impedimentaque navibus impoſita: ipſe cum lecta ducùm militumque manu navem conſcendit, caſtraque noctu penetrat. Tum terrorem, quo nihil adverſus barbaros validius, intendens, praemiſſis ſpeculatoribus & equitum turma in cataphractos Sarmatarum equites impetum facit. Ii improviſo adſultu conſternati, in fugam vertuntur, paucis temere & e longinquo ſagittas ejaculantibus: alii, dum praecipiti curſu fugiunt, procidunt, &, ob armorum pondus ad reſurgendum invalidi, equorum pedibus proteruntur.

Digitized by Google

Reverſis ſpeculatoribus, Trajanus id accepit, antequam in hoſtium conſpectum veniſſet. Haud dato temporis ſpatio, ut Daci, qui vicinam ſilvam occupabant, conſilio fugave ſaluti conſulerent, in eos immiſit equitem, quem ſequebantur legionarii. Illic ferociter pugnatum. Hoſtes, licet Sarmatarum fuga & repentino ſuo diſcrimine turbati, at, quod mors ſervituſve immineret, in deſperationem acti, impetum ſuſtinent. Miſcentur acies: conſeruntur manus: ictus adglomerantur. Haec inter ſtrages edit eques. Ac tandem victi, at non inulti, & multo cum ſanguine Romano Daci late procumbunt. Qui ſuperant, vinclis onuſti. Capta ſigna, arma, commeatus.

Spe victoriae tam cito in luctum verſa conſternati undique animi: nulla jam fugae conſilia: unica in victore ſalutis ſpes. Accurrunt patres, liberos manu trahentes, humeriſve geſtantes, matres filios ſinu complexae, honeſtaeque puellae; praemiſſis, qui clementiam Principis implorarent, Trajanum adeunt, ſupplices manus preceſque offerunt. Is tali viſu permotus, veritus tamen, ne praecipiti indulgentia belli finem retardet, conſultat; mox, clementia ſeveritati antehabita,

Digitized by Google

miſeros in fidem recipit. At ejus animum altius penetravit triſtior viſus, Principiſque humanitatem aperuit. Nempe Romanorum multi aderant acceptis in proelio vulneribus invalidi: fomenta quidem & medicamenta apponebantur. At iis ligandis, ob laeſorum multitudinem, praeſto non eſſe parem faſciarum numerum videt Princeps: ſtatim veſtem ſuam diſcindit, ſanguinem pro ſe, pro patria, fuſum reverens, certuſque Principalem ornatum in eorum uſus recte cedere, per quos valet & ſplendeſcit. Caeſis autem aras ſtrui, & per ſingulos annos iis parentari jubet.

Inter has curas, publicae ſecuritatis non oblitus, & ut in fidem recepti contineantur, praecaveaturque hoſtis, tanto formidoloſior, quanto ejus receſſus magis penetrabantur, nova exſtrui caſtra imperat. Dum fervent operae, carrobaliſtas ceteraque bellica inſtrumenta diſponi curat, ut, hoſtem mox quaeſiturus, decretiora tandem, ſi fieri poſſit, pugna confligat. Interim Luſius Quietus (is ex Maurorum gente, equeſtrem militiam in caſtris Romanis ſecutus, dein exauctoratus, a Trajano ob militarem virtutem & experientiam revocatus) in interiorem Daciam cum legionum vexillis ante miſſus, tum ut ho-

Digitized by Google

ſtium vires diſtraheret, tum ut bellum latius ſpargeretur, victor rediit: vaſtatis campis, hoſtibuſque juſta acie ſuperatis, captivorum agmina ſecum ducebat, qui caſtris clauſi ſunt. Mirum, ut legionarius miles, diu disjunctus, periculorum ſuperſtes, tandem obvius, in mutuos amplexus ruebat; ſua quiſque facinora oſtentantes. Eorum laetitia Principis humanitate & liberalitate cumulata. Laudata enim pro concione militum virtute, ſingulis dextram ſuam oſculandam permiſit; addiditque donativum.

At dum caſtra laudibus Principis exercituſque gaudiis perſonabant, auditum eſt, quo furore in captivos Romanos ſaevirent barbari. Nullis parcebant tormentis: feminaeque, ut fert eorum natura, quanto imbellior, tanto atrocior, in hac barbarie viris horridiores. Laetae ſuperbaeque, facibus armatae, nudos revinctiſque manibus, captivos accipiebant: poſt ludibria, aliae capitis vertici, aliae humeris, aliae brachiis, aliae aliis membris ardentes faces admovebant. In his cruciatibus haud deſiderata Romana conſtantia: non auditi imbelles queſtus, ſed firmae voces deos Romanoſque ultores minitantium. Eorum ſuppliciis exarſit Trajani exercituſque

Digitized by Google

indignatio. Cumque commeatus, quos subditi Daci advexerant, fuissent recepti, tramissus est amnis, ut, superato Decebalo captaque ejus regia, finis bello imponeretur, & occisorum manes placarentur.

Primum occupata castra, quae hostis deseruerat; ibique relicti veterani, & addita munimenta, ut tutius praesidium agitarent. Cum disciplinae curam vigilantiamque iis commendasset Princeps, processit exercitus. At ne quos temeritas efferret, Trajanus, habita concione, monuit "ut formidolosum hostem locaque ignota periculisque septa praecaverent": simul jussit "propinquam caedi silvam, addi munimenta, ne hosti latibulum suffugiumve foret". Cum nihil intutum fineret Imperatoris sollertia, Daci misere legatos, qui pacis conditiones offerrent. Territo, nondum fracto, hoste, "abire & belli aleam experiri" jussi sunt. Tum Trajanus, sacris operatus, lustratoque suovetaurilibus exercitu, concionem habuit; hortatus milites, "mactarent animis: graviores quidem, at supremos labores instare: iis, superata gente hactenus invicta, aeternam sibi Romanoque nomini famam adserturos". Imperatoris oratione laudisque cupidine alacres,

Digitized by Google

pars ſilvam exſcindit; alii ſpargunt per agros incendia, caſtellaque ſuccendunt; alii interceptos hoſtes caedunt; eorumque capita contis praefigunt; ſeveritatis, quae ceteros manet, exempla. Trajanus, pone ſequutus, tramiſit pontem; & quae cis tranſque pontem erant, incendi juſſit, ne, dum Sarmizegethuſae propinquaret, inde turbaret hoſtis, nihil tum auſus, ſed, viſo Principe, in montes cum vexillis ſuis profugus.

Tum nova ſtructa caſtra; cumque bellum propius premeret, venit Dacorum legatio, non jam comatorum, ſed pileatorum, quos Daci habent primores, e quibus regum ſacerdotumque fit delectus. Ii, poſitis armis, genuaque Principis advoluti, pacem orant ſupplices; teſtantes "Decebalum, quidquid Princeps voluerit, facturum; ipſumque venturum, ut colloquio pacis conditiones ineant: ſin minus, mittat, qui cum eo tranſigant". Id magis ex dignitate imperii Romani viſum. Miſſi Sura & Claudius Livianus, praetoriarum cohortium praefectus. At ne cum iis quidem congredi auſus eſt Decebalus, animo perfidus, ideoque timidus. Dixit "ſe alios miſſurum legatos".

Digitized by Google

Regem illudentem indignaſque trahentem moras non tulit Trajanus: juſſa vexilla legionum montes, quos hoſtis inſederat, ſcrutari, dum ipſe, cum legionum viribus ſuggreſſus, praemittit Luſium Quietum, qui cum ala Maurorum terrorem faceret. Is manum hoſtium offendit in preces potius, quam ad proelium pronam. At, urgentibus Imperatoris mandatis, plerique Dacorum caeſi ſunt: ceteri fuga ſe proripuere: nec libuit per colles ſaltuſque eos inſequi. Princeps ſemper meliora ratus, quae tutiora, in occupato loco caſtra communiit. Ibi expetitus nova legatione, humaniter quidem dataque dextra legatos excepit: at, ſiniſtra gladio admota, "ite", inquit, "& renuntiate, adverſus perfidos bella non verbis, ſed gladiis, profligari". Mox hoſtem petit, qui non longe aberat. Aggeſtis, in caſtrorum modum, arborum truncis, ut baliſtae ceteraeque belli machinae defenderentur, lecta legionum vexilla funditoreſque & Sarmatarum Germanorumque auxilia pugnam inire mandat. Pars hoſtium, ad reſiſtendum invalida, improſperum certamen ſubiit, dum alii vicinam ſilvam caedebant, ut victor exercitus progredi prohiberetur. At id quoque infeliciter ceſſit.

Digitized by Google

Superata acie, occupata est silva; &, quod prope esset Dacorum oppidum, castra posuit Trajanus, cunctaque ad obsidionem paravit. Quo autem essent loco hostium res, docuere captivi ad eum adducti. Ante oppidum castra munierant Daci; ipsisque ante castra stantibus, pugnandum fuit. Adversus eos missi libratores, sagittarii, aliique levioris armaturae, qui, edita hostium strage, eorum castra, asseribus tantum compacta, potiti sunt. Tum oppido propinquatum. Obsidionis cura Maximo demandata. Is sororem Decebali intercepit; milesque, acta testudine, oppidum expugnavit. Pars hostium, quae haud procul tendebat, auxilium oppido latura, in communem ruinam tracta, non ignave tamen, sed fortiter pugnando, periit. Interea excisa hostium castella, montibus impositae: capta magna armorum hominumque vis: recuperatum quoque signum, sub Domitiano Principe duceque Fusco amissum. Tot praesidiis nudata patuit tandem Sarmizegethusa, Decebali regia. Ducibus legionumque praecipuis ad consilium adhibitis censuit Trajanus "periculosam fore festinationem: bella arte & prudentia profligari, momento corrumpi: hactenus nihil temeritati datum: pa-

Digitized by Google

rum Romani ſanguinis, ſi tot tamque varia, quae ſuſtinuerant, proelia numerarentur: incruentam nunc poſſe eſſe victoriam: Decebalum ultro in deditionem venturum. Supremam hanc ſibi laudem adderent; eaque ſe reſpublicae approbarent. Adeſſe ſibi loci opportunitatem, aquae copiam, parata caſtra. Commeatus tantum importarent, & belli finem opperirentur[b]. Illati caſtris commeatus. Nec lenta fuere Decebali obſequia. Is enim reputans rerum ſuarum anguſtias, regiam hoſti perviam, inſuper anxius ſororis ſuae ſorte (& apud barbaros ſororum amore nihil validius) ſtatuit, ut illi ſibique conſuleret, Trajanum adire, veneratione obſequioque pacem emercari, quam infringere & forte in hoſtium exitium vertere penes ſe foret, ſi umquam faveret fortuna. Itaque ad Trajanum mittit, qui veniam pacemque orent ſuppliciter, eum ad quaevis Principis imperia paratum teſtentur, haſque pacis conditiones offerant: "Decebalum arma, machinas, earumque artifices traditurum: deditorum transfugas: Sarmizegethuſae propugnacula diruturum: numquam milite Romano uſurum: nec quemquam Romanorum umquam excepturum: agris, quos ex vicinis popu-

Digitized by Google

populis occupaverat, decessurum: amicos hostesque habiturum, quos amicos hostesque haberet populus Romanus". Pacis conditionibus annuit Trajanus; jussitque legatos dari, qui eas Romam ad senatum perferrent. Tum Decebalus cum regni primoribus & frequenti populo Trajanum adiit: eum genua advolutus veneratus est, pacta & conventa jurejurando firmavit: se ante hostem, nunc sociorum fidissimum fore patriis exsecrationibus tanto impensius obtestans, quanto mente perfidior. At ultra regis perfidiam Trajani providentia. Antequam Urbem repeteret, diruta a Dacis Sarmizegethusae propugnacula: ad eam posita castra, structaque tropaea, victoriae monumentum. Redditi Sarmatis Jazygibus agri, quos Decebalus occupaverat. Castra, quae eo bello munierat Trajanus, validis praesidiis firmata. Tum legionem, quam praesidem vindicemque pacis relinquebat, adlocutus, Romam profectus est.

Urbem, ante bellum optimi Principis admiratione defixam, continui victoriarum nuntii in victoris laudes transtulerant. Idem omnium sermo: omnium oculi auresque in Daciam versae. Prout quisque aut locorum scientia, aut veterum temporum historiis

Digitized by Google

exercitatus, castra, proelia, ceteraque belli eventa enarrabat, & Principis victorias cum priscorum imperatorum victoriis conferebat. Haec per fora, per domos, per insulas, per publica privataque loca celebrabantur. In hoc laudum concentu auditae tamen Bithynorum querelae. Nuper Priscum Varenum, adversus Julium Bassum, advocatum postulaverant & acceperant. Proconsul postea ad eos missus Varenus. Eum nunc reum agebant, & inquisitionem postulabant. Causa magna contentione acta. Interceſſit senatusconsultum, quo Vareno defensionis causa evocare testes licuit. Illud Bithyni apud absentem Principem criminati sunt. Ad senatum a Principe remissi, criminari non destitere. Mox eos accusationis, ut temere inchoatae, poenituit; & Principi, utrum vere eos poeniteret, fuit judicandum. Qua in re miram provincialium naturam sortemque juvat observare. Hos si difficilius audieris, a provinciarum rectoribus vexantur: si facilius, vexant provinciarum rectores. Adeo difficile est mortalibus, intra aequi verique fines consistere.

Varia quoque fama jactatum est Nepotis, praetoris, edictum. Is, ut venalia advoca-

Digitized by Google

torum ingenia coerceret, brevi edicto accusatores reosque admonuit, "exsequuturum se, quae senatusconsulto continebantur". Suberat senatusconsultum, quo omnes, quidquid negotii haberent, jurare, priusquam agerent, jubebantur, "nihil se ob advocationem cuiquam dedisse, promisisse, cavisse". Peractis tamen negotiis, permissum pecuniam dum taxat decem millium dari. Alii praetorem carpebant, "quod publicos mores emendaret". Alii laudibus attollebant, "quod rem pulcherrimam turpissime vaenire non pateretur". Dum fervebant diversa sentientium animi, forte Sollers, vir praetorius, a senatu petiit, "ut sibi institui in agris suis nundinas permitteretur". Contradixerunt Vicentinorum legati. Iis adfuit Tuscillus Nominatus. Mox, dilata causa, ab advocatione destitit; amicorum sermonibus perterritus, qui monebant, ne desiderio senatoris tam pertinaciter, praesertim in senatu, repugnaret. Talem inconstantiam aegre tulit Nepos; & cum, alio senatu, Vicentini sine advocato intrassent, Nepos eos interrogavit, "an Tuscillus gratis adfuisset": responderunt, "sex millibus nummum"; "an rursus aliquid dedissent", dixerunt, "mille denarios". Secuta

Digitized by Google

statim Nepotis postulatio circa Tuscillum. Is in senatum inductus, ipse pro se egit; multas preces, multum lacrimarum fudit: tota actione (quod & favorabilius & tutius) deprecari magis, quam defendi visus. Absolutus est sententia designati consulis, Afranii Dextri. Censuit "liberandum, qui in hoc genus culpae non fraude incidisset, nihilque dignum animadversione admisisse convinceretur". Adsenserunt omnes, praeter Flavium Aprum. Is "interdicendum Tuscillo advocationibus in quinquennium" censuit. Neminem auctoritate sua traxit. A quibusdam etiam reclamatum, cum, prolata lege de senatu habendo, Dextrum jurare coegit "e republica esse, quod censuisset". Nigrinus, tribunus plebis, cum non homipem, sed vitium argueret, plus obtinuit. Recitavit libellum disertum & gravem, quo questus est "vaenire advocationes, vaenire etiam praevaricationes; in lites coiri: & gloriae loco poni ex spoliis civium magnos & statos reditus": addidit capita legum, admonuit senatusconsultorum; & in fine dixit "petendum ab optimo Principe, ut, quia leges, quia senatusconsulta contemnerentur, ipse tantis vitiis mederetur". Paucos post dies adlatus

Digitized by Google

liber Principis severus, & tamen moderatus. Egregium fuit temperamentum, quo avaritiae occursum, nec sublata praestiti officii memoria & praemia.

AN. V. C. DCCCLVI. AER. CHR. 103.

Trajano Augusto V, L. Appio Maximo iterum consulibus. Adventu Principis mirum in modum efferbuit Urbis laetitia; visaque in senatu egregia veteris magnificentiae species. Senatum enim Dacorum legati, a Decebalo missi, depositis armis, junctisque in captivorum morem manibus, ingressi sunt. Pauca suppliciter locuti, confirmataque pace, arma recepere. Dein primus ex invicta gente actus est triumphus; novaque acclamatione Dacici cognomen Trajano confirmatum. Datum plebi congiarium; editaque in amphitheatro gladiatorum spectacula; &, ut publica laetitia novo spectaculo incitaretur, revocati pantomimi, quos inter Pylades Caesari praecipue acceptus.

Principibus celebratissimisque ducibus sollemne est, a castrorum laboribus ad pacis voluptates raptim dilabi, in deliciis tanto molliores, quanto ante in periculis duriores. His quoque vicibus sunt superbi, quasi hostibus patriae servire jussis, eorum voluptatibus

Digitized by Google

ſervire debeat patria. At id, quod forte pri vatos duces non ita dedecet, Trajanus in decorum Principi rebatur, cui magna bell major pacis habenda eſt cura. Civiles erg ut ante bellum, occupationes reſumit. Fr quens in foro Auguſti, in porticu Livia aliiſque publicis in locis, jus pro tribunali d cebat. Si qua graviora occurrerent, conf lium optimorum ſenatorum adhibebat. Ta conſilio magna res eſt acta, & in exemplu itura.

Luſtricus Bruttianus, provinciam ſortitu Montanum Atticinum, comitem ſuum, in mu tis flagitiis deprehenſum eſſe Principi ſcripſ rat. Atticinus, ut periculum declinaret, nov addidit flagitia, & Bruttianum, quem dec perat, accuſavit. Cognitionem recepit Prin ceps. Egit uterque pro ſe; idque carpti & per ſumma capita, quo genere veritas ſti tim oſtenditur. Protulit Bruttianus teſti mentum ſuum, quod Atticini manu ſcriptu eſſe dicebat. Hoc & arcana familiaritas, querendi de eo, quem ſic amaſſet, neceſſit indicabatur. Enumeravit crimina foeda manifeſta. Atticinus, cum diluere non po ſet, ita regeſſit, ut, dum defenditur, turpi dum accuſat, ſceleratus probaretur. Co

Digitized by Google

rupto enim ſcribae ſervo, interceperat commentarios, intercideratque, & per ſummum nefas utebatur adverſus amicum crimine ſuo. Fecit pulcherrime Caeſar. Non enim de Bruttiano, ſed ſtatim de Atticino perrogavit. Damnatus & in inſulam relegatus. Bruttiano juſtiſſimum integritatis teſtimonium redditum, quem conſtantiae gloria etiam ſecuta eſt. Nam defenſus expeditiſſime, accuſavit vehementer; nec minus acer, quam bonus & ſincerus, adparuit. Magnum provinciarum rectoribus documentum, ut plurimum ſibi credant, nec cuiquam ſatis fidant; &, ſi forte fuerint decepti, paratam ultionem ſciant.

Ultra urbanas curas ſeſe diffudit Trajani ſollicitudo; ipſoſque ſeceſſus, Principibus adeo optatos, ut, dignitatis ſuae majeſtate feſſi, ad privatae vitae delicias redeant, in publicos uſus vertit: nec umquam major viſus. Nam familiaritas, quae plerumque Principes minuit, ei plus ſplendoris addidit. Ibi enim nulla recludebantur vitia; ſed, ut propius viſae, magis enitebant Principis virtutes, juſtitia, gravitas, comitas. Nec ſocietate corrumpi poterat, cum ſenatorum optimos in conſilium illuc evocaret. Centumcellis, quo in pulcherrimam villam diverterat, in-

Digitized by Google

signes actae sunt causae. Suam dixit Claudius Aristo, princeps Ephesiorum, homo munificus & innoxiae popularitatis: inde tamen invidia, & a dissimillimis immissus delator. Itaque absolutus vindicatusque est.

Audita quoque Gallita, adulterii res. Nupta haec tribuno militum, honores petituro, & suam & mariti dignitatem centurionis amore maculaverat. Maritus legato consulari, ille Caesari scripserat. Caesar, excussis probationibus, centurionem exauctoravit, atque etiam relegavit. Supererat, ut criminis, sic ultionis reliqua pars. Sed maritum, non sine aliqua reprehensione patientiae, amor uxoris retardabat. Immo, post delatum adulterium, eam domi habuerat, quasi contentus aemulum removisse. Admonitus, ut perageret accusationem, peregit invitus: sed, vel invito accusatore, ut par erat, damnata est & Juliae legis poenis relicta. At Caesar, ne omnes ejusmodi causas revocare ad se videretur, & nomen centurionis & commemorationem disciplinae militaris sententiae adjecit: reputans sub prioribus Principibus imminutam legum reverentiam, dum promiscue judicum munia pro libidine usurpabant.

Digitized by Google

Pariter ob memoriam veterum temporum, quibus praepollentes Principum liberti, plus celebritatis habuit cognitio de Julii Tironis codicillis, quos ex parte veros esse constabat, ex parte falsi dicebantur. Substituebantur crimini Sempronius Senecio, eques Romanus, & Eurythmus, Caesaris libertus & procurator. Heredes, cum Caesar esset in Dacia, communiter epistola scripta, petierant, ut cognitionem susciperet. Susceperat, reversusque diem dixerat. At, cum ex heredibus quidam, quasi reverentia Eurythmi, remitterent accusationem, pulcherrime dixit Trajanus: "Nec ille Polycletus est, nec ego Nero". Indulserat tamen petentibus dilationem; cujus tempore exacto, consedit auditurus. A parte heredum intraverunt duo: omnino postularunt, ut omnes heredes agere cogerentur, cum detulissent omnes, aut sibi quoque desistere permitteretur. Locutus est Caesar summa gravitate, summa moderatione: cumque advocatus Senecionis & Eurythmi dixisset "suspicionibus relinqui reos, nisi audirentur". "Non curo", inquit, "an isti suspicionibus relinquantur, ego relinquor". Vox digna Principe, qui sciret, puram esse debere privatorum fidem,

Digitized by Google

Principum inviolabilem. Converſus ergo ad ſenatores, qui aderant, uſuſque Graeco verbo, "cenſete", inquit, "quid facere debeamus". Mox, ex conſilii ſententia, juſſit "denuntiari heredibus omnibus aut agerent, aut ſinguli approbarent cauſas non agendi, alioqui ſe vel de calumnia pronuntiaturum". Dies ea honeſtate, ea ſeveritate actos excipiebant jucundiſſimae remiſſiones. Senatores, qui conſiliis interfuerant, cenae adhibebantur. Erat modica, & ut decebat Principem, qui non ſumptu & ganea, ſed ſuavitate & ſimplicitate convictus vellet praecellere. Inde aut acroamata audiebantur, aut jucundiſſimis ſermonibus nox ducebatur. Summo die, antequam in conſilium evocati abirent, (adeo diligens erat in Caeſare humanitas) ſingulis xenia mittebantur.

Privatam Principum vitam plerumque ſilet Hiſtoria, ne evileſcat: Trajani referre geſtit, ea quam victoriis recenſendis laetior & ſplendidior. Immorari tamen haud licet, quod, vel inter ſeceſſus delicias, mens, imperii magnitudini par, totam ejus molem ſemper verſaret, noviſque inſtitutis ac monumentis perficeret. Super ſolitos reditus, Principiſque parcimoniam, tantis operibus

Digitized by Google

sufficiebant partae bello Dacico opes. Itaque dum exstruebatur Centumcellis immensae magnificentiae portus, qui importuoso Tyrrheni maris litori succurreret, alter simul & majore quidem munificentia addebatur Anconae, ut Adriatici maris commercia promoverentur. Ostiensi autem portui, quem Claudius Caesar inenarrabili impendio, ut jam memoravimus, condiderat, novum superaddidit, quo tutius commodiusque naves, quae Urbem alerent, reciperentur. Ipsa in Urbe restituebantur vetera reipublicae libertatisque monumenta, temporum injuria collapsa, aut Caesarum negligentia & ambitione corrupta. Ut arcerentur Tiberis inundationes, quae toties Romam terrore & ruinis oppleverant, fossa per Vaticanos campos ducebatur, qua pars fluminis innoxio fluxu decurreret, & faecunditatem inferret.

Eadem Principis vigilantia, in quotidianas Urbis necessitates intenta, quae divus Nerva admirabili consilio coeperat, absolvit. Aqua Marcia, clarissima aquarum omnium, & salubritatis palma populi Romani potibus addicta, ita per omnes colles est invecta, ut omnium siti large sufficeret. Ceterae aquae, non ita nobiles, pro sua quaeque qualitate,

Digitized by Google

aptis uſibus adſignatae. Emendata etiam Anienis novae vitia; & ne, ob tempeſtatum pluviarumque caſus, deformis ac turbida umquam flueret, omiſſo flumine, repetita eſt ex lacu, unde per montium ſaxa & nemorum opaca, adeo frigida & ſplendida in Urbem pervenit, ut dotibus aequaret Marciam, copia ſuperaret. Tantaque fuit ſollicitudo, ne umquam ſentiretur aquarum inopia, ut per omnes Urbis partes lacus tam novi, quam veteres plerique binos ſalientes diverſarum aquarum acceperint, alteriuſque copia, ſi alteruter deficeret, abunde ſufficeret. Ne pereuntibus quidem aquis ſua defuit utilitas. Iis enim & immunditiarum facies, & impurior ſpiritus, & cauſae gravioris caeli, quibus aer ante fuit infamis, ſunt remotae.

Hanc Urbis ſalubritatem ejuſque commoda ampliabant Pomptinae paludes, quarum pars magna jam ſiccata, nec frugum tantum faecunda, ſed & pervia, ſtrata ſilice Appia via, quae novis in dies magnificiſque operibus exornabatur. Par per provincias ac maxime in Hiſpaniam, patriam ejus terram, munificentia.

Digitized by Google

At haec satis vulgata, & conditoris nomine ac monumentis adhuc plerumque celebrata, singillatim persequi haud licet, cum nos ad majora & aetatum omnium memoria laudibusque dignissima trahat miranda optimi Principis humanitas. Jam Roma, ut supra memoravimus, ejus liberalitatem in pueros effusam senserat. Excelsius aliquid ac prope divinum ausus est. Norat, imperia non opum, non dominationis magnitudine, sed civium numero & virtute niti: Italiam esse populi Romani sedem, orbis terrarum dominam, cunctarum gentium parentem, cujus aeternitati erat consulendum, si aeternum vellet imperium. Ea imbutus scientia, quod erat in Italia puerorum puellarumque, quos inopia morti aut vitiis mancipabat, ipse alendos sumptibus suis suscipit. Et ne institutum, quo nullum fuit, nec erit praestantius, incuria aut avaritia in posterum convelleretur, per universam Italiam emit agros, quos modico fenore, ne umquam vacarent, collocat, ut ex annuis reditibus inopi pueritiae, non procul a patria, quod dispendiosum pariter & vitiosum est, sed suos apud penates, alimenta in perpetuum suppeditet. Ultra fata, & in omnes aetates re & exemplo be-

Digitized by Google

neficus, homines naturae, reipublicae cives addidit, tanto meliores, quod in Romani nominis amore & Principis veneratione crescerent.

Provinciis quoque subventum; omniumque Princeps non eas tantum, quae sui erant juris, sed & quae populi senatusque imperio continebantur, in meliorem statum revocandas curavit. Universa hac providentia in Bithyniam, proconsulum negligentia aut vitiis turbatam, C. Plinium legatum propraetorem consulari potestate misit. Pontus quoque & Byzantiorum respublica ejus curae commissa. Ob egregiam viri integritatem ac prudentiam, mandatum, ut formandis illarum civitatum moribus moderaretur, & ea constitueret, quae ad perpetuam earum quietem essent profutura.

Sub anni finem Nicomedia vastissimum incendium passa est; latius sparsum primum violentia venti, deinde inertia hominum, quos satis constitit, otiosos & immobiles tanti mali spectatores perstitisse; ceterum instrumentis ad incendia compescenda destitutos. Jussi sunt comparare ea, quae ad coercendos ignes auxilio esse possent. At Princeps non permisit institui fabrorum collegium, ne he-

Digitized by Google

tariae (sic vocant sodalitates) fierent, & turbida civitas iis ad movendas factiones abuteretur.

AN. V. C. DCCCLVII. AER. CHR. 104.

L. Licinio Sura II & P. Horatio Marcello consulibus. Prudentiam diligentiamque Principis in ordinandis provinciis hic annus maxime insignivit. Verum, antequam hac de re sapienter constituta in Bithynia referam, juvat alias & per plures annos diffusa summatim colligere, ne aut optimi regiminis memoria pereat, aut saepius interrupta narratio lectoris animos fatiget. Hic ergo monuisse sit satis, toto hoc Principatu creatos fuisse consules Principi amicos & plerumque simillimos: eos, postea in provincias missos, continuis Caesaris literis & adhortationibus ad ea, quae provinciis opes, tranquillitatem, splendorem inferrent, fuisse incitatos: expertaque fide, collatam iis summam auctoritatem. Quos inter Plutarchus, quem, licet tot alios fileam, honoris causa ob studiorum claritudinem nominaverim, cum Illyricum regeret, id dignitatis accepit, ut omnes, qui inter has gentes agebant magistratus, nihil eo inconsulto facere jussi sint. Principales autem Caesarum ac maxime Trajani curas

Digitized by Google

nihil magis commendat, quam assidua eorum diligentia & exquisita brevitas in rescribendo de rebus, super quas continuo & a cunctis provinciarum rectoribus consulebantur.

Aequitate adhuc & humanitate praestabant Trajani rescripta. Nec tam vox Principis, quam Dei fuit, cum & Julio Frontoni scripsit: "Absentem in criminibus damnari non debere"; & Assiduo Severo, "sed nec suspicionibus debere aliquem damnari. Satius enim esse impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnare". Insidiosas quoque quaestiones vetuit, mandavitque: "Qui quaestionem habiturus est, non debet specialiter, sed generaliter, interrogare, quis crimen fecerit. Alterum enim magis suggerentis, quam requirentis videtur". Neo sua utilitate decessorumve exemplis a proposita sibi clementia innocentiaque umquam dimoveri potuit; & ad Didium Secundum rescripsit: "Scio relegatorum bona avaritia superiorum temporum fisco vindicata: sed aliud clementiae meae convenit, qui inter cetera, quibus innocentiam rationum meorum temporum approbavi, hoc quoque remisi exemplum". In virtutis gloriaeque subsidium veniebat Plotina Augusta. Comperto pro-

Digitized by Google

procuratores, vel ſub optimis Principibus avidum durumque hominum genus, auſos eſſe contumelias provinciis inferre, Caeſarem admonuit, ne talem nomini ſuo labem inuri pateretur. Quod ita Trajanum advertit, ut exactiones in poſterum inhibuerit; ditans "fiſcum lienem eſſe, quo creſcente, artus reliqui tabeſcunt". Dein tanta fuit fiſci modeſtia, ut, moriente Trajano, reliqua fuerint vetera ſeſtertium novies millies: ingens Hadriano liberalitatis materies.

Verum ad temporum ordinem rerumque ſeriem redeo. Cum Plinius tertio Nonas Januarii vota pro incolumitate Principis cum provincialibus ſolviſſet, ad publicas curas animum vertit. Praecipua ei cura fuit rationes civitatum excutere, ne aut nimiis, aut minime legitimis, ſumptibus exhaurirentur. Approbante plurimum Principe, levata eſt Byzantiorum reſpublica, quae maximis impendiis gravabatur. Legatum ad eum ſalutandum annis omnibus cum pſephiſmate (id apud eos nomen plebiſcito) mittebat, eique dabat nummorum duodena millia. Ut minuerentur ſumptus, id remiſſum: ne tamen omitteretur publicum officium, Plinius ad Principem ipſe miſit pſephiſma. Pariter

Digitized by Google

circumcidit terna millia, quae viatici nomin annua dabantur legato, eunti ad eum, qu Moesiae praeerat, publice salutandum.

De pecuniis publicis plus ei videbatu difficultatis. Intererat, ne otiosae jacerent nec facile tamen collocabantur, cum prae diorum comparandorum aut nulla, aut ra rissima esset occasio. Praeterea non invenie bantur, qui vellent debere reipublicae, prae sertim duodenis assibus, quanti a privatis mutuabantur. Consuluit Principem, "ut di spiceret, numquid minuenda usura, ac per hoc idonei debitores invitandi; an, si nec sic quidem reperirentur, distribuenda inter de curiones pecunia, ita ut recte reipublicae caverent: quod, quamquam invitis & recu santibus, minus acerbum foret, leviore usura constituta". Pro solita sua aequitate rescri psit Princeps: "Non aliud esse remedium, quam ut quantitas usurarum minueretur, quo facilius pecuniae publicae collocarentur modum ejus, ex copia eorum, qui mutua rentur, Plinius constitueret. At invitos a accipiendum compellere, quod fortassis ipsi otiosum futurum foret, non esse ex justitia suorum temporum".

Digitized by Google

Hanc Principis indulgentiam haud fregit juris durities. Plinius maximam, & quae ad totam provinciam pertineret, quaeſtionem de conditione & alimentis eorum, qui liberi nati, expoſiti, deinde ſublati, a quibuſdam in ſervitute educabantur, propoſuerat; eaque de re edictum Auguſti, & Principum epiſtolas, ſed parum emendatas, & quaſdam non certae fidei memoraverat. Reſpondit Trajanus "quaeſtionem hanc ſaepe eſſe tractatam: nihil tamen inveniri in commentariis Principum, qui ante ſe fuerunt, quod ad omnes provincias foret conſtitutum: nec Bithyniam eſſe inter provincias, quibus hac de re fuerat reſcriptum: ideo putare ſe, non adſertionem denegandam iis, qui ex ejuſmodi cauſa in libertatem vindicabuntur: neque ipſam libertatem redimendam pretio alimentorum". Sic, quantum per tempus licuit, expoſitorum ſtatui conſuluit.

At in ea quaeſtionum multitudine, quae hoc anno tractatae ſunt, plurimas haud ita graves omiſerim: duas vero, alteram Amiſenorum, Chriſtianorum alteram, juris ſimilitudine, & innocentia, ſingulares, referre operae pretium eſt. Amiſeni, civitas libera & foederata, beneficio Principis legibus ſuis

Digitized by Google

utebantur. Plinio dederunt publice libellum ad eranos (id apud eos nomen pecuniis, quae ſublevandis pauperibus colliguntur) pertinentem. Illum Trajano miſit Plinius, ut quid & quatenus aut permittendum aut prohibendum declararet. Secutae Principis literae: "Amiſenos, quorum libellum epiſtolae tuae junxeras, ſi legibus iſtorum, quibus de officio foederis utuntur, conceſſum eſt eranos habere, poſſumus, quo minus habeant, non impedire, eo facilius, ſi tali collatione, non ad turbas & illicitos coetus, ſed ad ſuſtinendam tenuiorum inopiam utuntur. In ceteris civitatibus, quae noſtro jure obſtrictae ſunt, res hujuſmodi prohibenda eſt". Nihil nempe, praeſertim in longinquis provinciis, magis cavebatur, quam ut nullus eſſet, quod jam ſupra memoravimus, hetaeriarum uſus, nulla tumultus factionumve cauſa.

Itaque cum Chriſtiani, ut poſtulabat ſacrorum uſus, ſaepe inter ſe convenirent, id Plinium, omnibus intentum, advertit; & numero coeuntium permotus, re diligenter inquiſita, ad Trajanum epiſtolam miſit, quam integram hic ſubjungere neceſſe eſt, ut, quam late ſerperet religio, noteſcat. "Sollemne

Digitized by Google

eſt mihi, Domine, omnia, de quibus dubito, ad te referre. Quis enim poteſt melius vel cunctationem meam regere, vel ignorantiam inſtruere? Cognitionibus de Chriſtianis interfui nunquam: ideo neſcio, quid & quatenus aut puniri ſoleat, aut quaeri. Nec mediocriter haeſitavi, ſitne aliquod diſcrimen aetatum, an quamlibet teneri nihil a robuſtioribus differant: deturne poenitentiae venia, an ei, qui omnino Chriſtianus fuit, deſiſſe non profit: nomen ipſum, etiamſi flagitiis careat, an flagitia cohaerentia nomini puniantur. Interim in iis, qui ad me, tamquam Chriſtiani, deferebantur, hunc ſum ſecutus modum. Interrogavi ipſos, an eſſent Chriſtiani: confitentes iterum ac tertio interrogavi, ſupplicium minatus: perſeverantes duci juſſi. Neque enim dubitabam, qualecumque eſſet, quod faterentur, pertinaciam certe, & inflexibilem obſtinationem debere puniri. Fuerunt alii ſimilis amentiae, quos, quia cives Romani erant, adnotavi in Urbem remittendos; mox ipſo tractatu, ut fieri ſolet, diffundente ſe crimine, plures ſpecies inciderunt. Propoſitus eſt libellus ſine auctore, multorum nomina continens, qui negarent ſe eſſe Chriſtianos, aut fuiſſe:

Digitized by Google

cum, praeeunte me, deos appellarent, & imagini tuae, quam propter hoc jufferam cum ſimulacris numinum adferri, thure ac vino ſupplicarent, praeterea maledicerent Chriſto (quorum nihil cogi poſſe dicuntur, qui ſunt revera Chriſtiani) dimittendos putavi. Alii ab indice nominati, eſſe ſe Chriſtianos dixerunt, & mox negaverunt: fuiſſe quidem, ſed deſiſſe, quidam ante triennium, quidam ante plures annos, non nemo etiam ante viginti quoque. Omnes & imaginem tuam, deorumque ſimulacra venerati ſunt; ii & Chriſto maledixerunt. Adfirmabant autem, hanc fuiſſe ſummam vel culpae ſuae, vel erroris, quod eſſent ſoliti ſtato die ante lucem convenire: carmenque Chriſto, quaſi Deo, dicere ſecum invicem: ſeque ſacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent, quibus peractis, morem ſibi diſcedendi fuiſſe, rurſuſque coeundi ad capiendum cibum, promiſcuum tamen & innoxium: quod ipſum facere deſiſſe poſt edictum meum, quo ſecundum mandata tua hetaerias eſſe vetueram. Quo magis neceſſarium credidi, ex duabus ancillis, quae mi-

Digitized by Google

niſtrae dicebantur, quid eſſet veri, & per tormenta quaerere. Sed nihil aliud inveni, quam ſuperſtitionem pravam, & immodicam; ideoque, dilata cognitione, ad conſulendum te decurri. Viſa eſt enim mihi res digna conſultatione, maxime propter periclitantium numerum. Multi enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriuſque ſexus etiam, vocantur in periculum, & vocabuntur. Neque enim civitates tantum, ſed vicos etiam atque agros ſuperſtitionis iſtius contagio pervagata eſt; quae videtur ſiſti & corrigi poſſe. Certe ſatis conſtat, prope jam deſolata templa coepiſſe celebrari, & ſacra ſollemnia diu intermiſſa repeti: paſſimque vaenire victimas, quarum adhuc rariſſimus emptor inveniebatur. Ex quo facile eſt opinari, quae turba hominum emendari poſſit, ſi ſit poenitentiae locus".

Pronum in clementiam Plinii animum Trajanus majore adhuc indulgentia levavit; reſcripſitque: "Actum, quem debuiſti, mi Secunde, in excutiendis cauſis eorum, qui Chriſtiani ad te delati fuerant, ſecutus es. Neque enim in univerſum aliquid, quod quaſi certam formam habeat, conſtitui poteſt. Conquirendi non ſunt: ſi deferantur & arguan-

Digitized by Google

tur, puniendi sunt: ita tamen, ut, qui negaverit se Christianum esse, idque re ipsa manifestum fecerit, id est, supplicando diis nostris, quamvis 'suspectus in praeteritum fuerit, veniam ex poenitentia impetret.' Sine auctore vero propositi libelli, nullo crimine locum habere debent. Nam & pessimi exempli, nec nostri saeculi est". Sic Christiana religio, Neronis ac Domitiani furores ante eluctata, jam in Caesarum indulgentiam irrepebat, aliquando forte venerationem & fidem obtentura.

Haec vero cum Trajanus sub anni finem rescriberet, adlatum in Urbem, "Decebalum pactis & conventis non stare, arma clam parare, transfugas recipere, munitiones, castella instaurare; vicinas gentes per legatos sollicitare: qui superiore in bello pro Romanis steterant, vexari, jamque Jazygum terras partim occupari". Turbidum hominis ingenium, & ad majores, quam barbarum decebat, spes erectum, suspectum ante fecerat Callidromus, olim Laberii Maximi servus, dein captus a Susago in Moesia, & a Decebalo muneri missus Pacoro, Parthorum regi. Cum pluribus annis in ministerio ejus fuisset, fugerat, & in Nicomediam pervene-

Digitized by Google

rat. Inde, ob forenſia jurgia, Plinio notus, ad Trajanum nuper fuerat perductus. Decebalus ob talem cum potentiſſimo rege neceſſitudinem, violataque pacis foedera, hoſtis a ſenatu judicatus eſt. Id bellum in ſe recepit Trajanus, dum Cornelius Palma Arabiam occupare parabat. Validiſſima tum fuit res militaris: additae erant legiones duae, ſecunda Trajana & tricefima Ulpia: firma & vigil cuncta per caſtra diſciplina: mandatum quoque provinciarum rectoribus, "quantum fieri poſſet, milites a ſignis non eſſe avocandos". Et ne in habendis delectibus fraus foret, prodierat Principis praeceptum, "ut ſi quis filium debilitaret, delectu per bellum indicto, deportaretur". Inſuper rem militi laetiſſimam curaverat Trajanus, permiſſo, "ut libere teſtamenta facerent". Id primus conceſſerat divus Julius Caeſar; ſed ad tempus: deinde idem tribuit divus Titus, & poſtea Domitianus. Pleniſſimam hanc indulgentiam in milites contulit divus Nerva, quam ita amplexus eſt Trajanus, ut mandatis inſertum fuerit caput: "Cum in notitiam meam prolatum ſit: ſubinde teſtamenta a commilitonibus relicta proferri, quae poſſint in controverſiam deduci, ſi ad diligentiam

Digitized by Google

legum revocentur & obſervantiam: ſecutus animi mei integritudinem erga optimos fideliſſimoſque commilitones, ſimplicitati eorum conſulendum exiſtimavi, ut, quoquo modo teſtati fuiſſent, rata eſſet eorum voluntas. Faciant igitur teſtamenta quoquo modo volent: faciant quomodo poterint; ſufficiatque ad bonorum ſuorum diviſionem faciendam nuda voluntas teſtatoris".

AN. V. C. DCCCLVIII. AER. CHR. 105.

Tiberio Julio Candido II, Aulo Julio Quadrato II conſulibus. Dum exſpectatur mare, ut Trajanus in Daciam tranſmitteret, venere Plinii literae, quae de protopraxia civitatum, de earum largitionibus, de introitu decurionum, de ſollemnibus invitationibus interrogarent. Reſpondit in ſummam imperii ſecuritati, civitatum civiumque felicitati conſuli; nihil, niſi neceſſe, novari, ne foret perturbationi locus. Singulaque ſigillatim evolvens, voluit "protopraxiam, ſeu jus, quo civitates in exigendis pecuniis, quae ipſis debebantur, ceteris creditoribus anteponebantur, ex lege cujuſque civitatis aeſtimari: ſi haberent privilegium, quo anteponerentur, cuſtodiri: ſi vero non habebant, in injuriam privatorum id non dari". Man-

Digitized by Google

data, quibus prohibebatur largitiones ex publico fieri, confirmavit. At, cum Amiſenorum civitas ab Julio Piſone denariorum circiter quadraginta millia, donata ei publice ante viginti annos, repeteret, ſanxit "ne multorum ſecuritas ſubrueretur, largitiones factas ante aliquantum temporis retractari, atque in irritum vindicari non oportere. Quidquid ergo ex hac cauſa actum ante viginti annos fuiſſet, omittendum eſſe: ſe enim non minus hominibus cujuſque loci, quam pecuniae publicae conſultum velle". Decuriones, qui a cenſoribus legebantur, pro introitu dare pecuniam non jufferat lex Pompeia: ſed ii, quos Trajanus ſuper legitimum numerum adjecerat, ſingula millia denariorum & bina intulerant. Anicius deinde Maximus, proconſul, eos etiam, qui a cenſoribus legerentur, dumtaxat in pauciſſimis civitatibus, aliud aliis jufferat inferre. Quaerebat Plinius, an id in omnibus civitatibus exigendum. Reſpondit Trajanus, "hac de re in univerſum a Principe non poſſe ſtatui: at, quod ſemper tutiſſimum ratus eſt, ſequendam cujuſque civitatis legem: & ſane id acturos, ut, cum inviti fuerint decuriones, eorum erogatio ceteris praeferretur".

Digitized by Google

Denique invitationes Plinius ex ſollemnibus cauſis conceſſerat. Verebatur tamen, ne modum aliquando excedere viderentur, & in quamdam ambitioſarum ſportularum ſpeciem incidere, cum, qui virilem togam ſumebant, vel nuptias faciebant, vel inibant magiſtratum, vel opus publicum dedicabant, ſolerent totum ſenatum, atque etiam ex plebe tantum numerum vocare, ut ſaepe mille homines, interdum etiam plures convenirent, binoſque denarios vel ſingulos acciperent. Ne imprudenter egiſſe argueretur, monuit Principem. Is Plinium, quod ambitionem ſportularum timeret, laudavit. Voluiſſet quidem, ut, non per corpora, ſed viritim ſinguli ex notitia ad ſollemnes ſportulas contraherentur. Ne quid tamen imperioſius novaret, maxime cum nihil impatientius ferant civitates, quam ſi gentiles uſus mutantur, id Plinio remiſit, quem elegerat, ut formandis illius provinciae moribus ipſe moderaretur, & ea conſtitueret, quae ad perpetuam ejus quietem eſſent profutura.

Haec pacis decora belli curis, inſtante navigationis opportunitate, Trajanus mutavit; vitatiſque Alpibus, ne moras objicerent, Adriaticum mare trajecit, & per Illyricum

Digitized by Google

Moesiam petiit, inde Daciam ingressurus: comitem adsumsit Hadrianum, qui eo anno tribunus plebis factus, nunc primae legioni Minerviae praepositus est. Hostes jam praeoccupaverat terror. Multi, ubi primum audierant Decebalum a senatu hostem fuisse judicatum, bellumque non per duces, sed a Trajano confectum iri, ad eum defecerant. Ipse Decebalus, prioris belli adversa & coeptae defectionis pericula reputans, de pace egerat: sed jussus "arma seque ipsum tradere", horruerat; ratusque nihil sibi foedius posse evenire, belli discrimen adire decrevit. Tum arma copiasque palam paravit; utque vicinas gentes ad bellum traheret, eas acriter monuit, "si consilia viresque sociarent, certam esse libertatem: si sese disjungerent, imminere servitium: se quidem primum peti, ut, cum foret superatus, ceteri indefensi & bello impares in ruinam impellerentur. His artibus increvisse Romanum imperium: quibus olim succubuisse miserum fuit, nunc succumbere, probrosum". At vel junctis viribus non satis confisus, dolo ac scelere grassatus est; misitque transfugas, qui Trajanum, dum adhuc erat in Moesia, interficerent. Is tanto apertius insidiis patebat, quod suapte

Digitized by Google

natura & ob disponendi belli necessitatem maxima esset admissionum facilitas. Sed plerumque turbidae & efferae sunt sceleris meditationes: quidam earum suspectus, comprehensus est; tormentisque subditus, crimen socioque patefecit.

Trajanus, suo periculo cautior, hostile solum ingressus est. In ejus venerationem obsequiumque ruit Dacorum pars, quae ad eum defecerat. Parentes liberosque, manus tendentes, opem fidemque implorantes, benigne excepit: sacrisque operatus, precatus est Deos, ut coeptis annuerent, mala averterent: dissonis Romanorum Dacorumque precibus ingeminata sunt vota. Mox caesae materiae, munitaque castra. Interim hostis, unde bellum ingrueret certus, partim oppida munitionibus valida, partim castella montibus imposita occupat. Nihil tutum fuit adversus Romanorum impetum. Capta oppida, expugnata castella; ingensque fuit hostium strages. Cum tamen ad eorum propugnaculum, triplici muro vallatum, perventum esset, primum substitit impetus: mox difficultate irritata est militis audacia; tresque muros superavit. Necdum certa victoria: ibi enim hostis plurimus; & singula inter

Digitized by Google

valla mutuis caedibus dimicabatur, cum Trajanus ſupervenit, & ſuis fiduciam, hoſtibus terrorem injecit.

At hujus anni proſpera non virtus, ſed fraus Decebali interturbaverat. Longinum enim, legionis praefectum, qui adverſus eum multa ſtrenue gefſerat, cuncta ejus arbitrio permittendi ſpecie ad colloquium vocatum, interceperat. Ut id accepit Trajanus, ſimulque ne feliciter coepta aut temporum adverſis aut hoſtium dolis perverterentur, exercitum in hiberna mature reduxit. Decebalus autem, cum Longinum de conſiliis Trajani publice interrogaſſet, iſque ſe nihil proditurum reſpondiſſet, liberae eum cuſtodiae tradidit, honorificeque habuit; ratus ſe eo, ut pacis vade, uti poſſe. Legatum itaque Trajano mittit, qui proponat, "ut ſibi terrae ad Danubium uſque permittantur, bellique impenſae reſtituantur, ſe Longinum redditurum". Reſponſum ita moderatus eſt Trajanus, ut nec Longini virtutem minueret, nec efferret; ne aut nimiis laudibus creſceret redemptionis pretium, aut modicis Longini vita periclitaretur. Decebalus, his ambagibus impeditus, haeſit; quid ageret, incertus. Interim Longinus, adverſis non fractus, ſe-

Digitized by Google

eum reputabat, quomodo patriae ſubveniret: libertique opera venenum nactus, ne qua oriretur ſuſpicio, arctiorve cuſtodia adhiberetur, ſe Decebalum inter & Trajanum pacis ſequeſtrum fore ſimulavit. Hac de re ſupplices componit literas, quas liberto tradit perferendas. Eo profecto, nocte venenum hauſit, & repente exanimatus eſt. Trajanus, quid Longinus meditaretur certus, libertum retinuit. Decebalus, ſe illuſum indignans, libertum repetit, Longini cadaver & decem praeterea captivos traditurum ſe pollicitus. Centurionem, cum Longino captum, miſit, qui id ſignificaret. At Trajanus liberti & centurionis ſalutem, ob imperii dignitatem, Longini ſepulturae antehabendam ratus, neutrum remiſit: de captivis haud ita ſollicitus, quod nihil adverſus eos auderet Decebalus, ne majori ſuorum ſanguine rependeretur.

Dum Caeſar ultra Danubium victoriis imperium propagabat, illud ejus auſpiciis per Arabiam diffuderat Corn. Palma, Syriae praeſes. Eam quidem Cn. Pompeius olim terruerat, non domuerat. Dein divus Auguſtus, intelligens quanti intereſſet regionem odorifera ſilvarum fertilitate inclytam,

opi-

Digitized by Google

bus potentem, & commerciis opportuniſſimam, imperio adjicere, Aelio Gallo, Aegypti praefecto, hanc expeditionem mandavit. Aderat & Nabataeorum favor, qui ſe adjutores ſocioſque fore ſpoponderunt. Nec rex Obodas erat impedimento; cum, uti mos eſt earum gentium regibus, otio reſolutus pacem negligeret, bellum ne attingeret quidem, ſed ejus curam Syllaeo, procuratori, penitus committeret. Praeterea adverſus gentes, proeliorum ignaras & timidas, mercaturae addictas, ferme decem millia Romanorum peditum & ſociorum ex Aegypto tranſvexerat; ipſeque Syllaeus quingentorum Judaeorum & mille Nabataeorum ductor. At is animo perfidus, & inhians bello parandis opibus, quas, ſi falleret, ſolus occuparet, continuis per ſex menſes erroribus potius, quam itineribus, inter loca aſpera, arida, deſerta, ita exercitum debilitavit, ut, licet Romani ſaepe cum barbaris conflixiſſent, eorum ad decem millia uno proelio interfeciſſent, plura oppida cepiſſent, & ſuorum ſeptem tantum amiſiſſent, ceteri omnes morbis, laboribus, fame, & itinerum difficultate perierint. Syllaeus quidem, dum adhuc amicitiam ſimulabat, aliorum quoque criminum

Digitized by Google

convictus, in Urbe securi percussus est. Sic expiata est perfidia: deinde tamen ab Augusto, &, qui eum secuti sunt, Principibus, seu incuria, seu desidia, neglecta est Arabia.

At Trajanus, qui non modo opimae terrae thesauros noverat, sed & dolebat singulis annis magnam Romani auri argentique vim Arabicis odoribus mutari, nec umquam remeare, Indicaque commercia, quorum ingens tum erat celebritas, &, crescente in dies luxu, necessitas, ni possideretur Arabia, tarda esse & parum proficua, Palmae imperaverat, ut eam, non terrore, sed prudentia occuparet. Quod callide Palma praestitit. Arabiam enim desertam, cujus incolas inopes simul & fortes superare velle & inutile erat & periculosum, reliquit. Petraeae vero & Felici Arabiae victrices Orientis legiones ostentavit: laudavit gentes, "quae super ceteros terrarum populos opibus abundarent, iisque ita provide uterentur, ut apud eas privatam rem augentibus praemium, minuentibus poena esset constituta, nec laborarent nisi regum suorum vitiis, in quorum vitam saepe erat inquirendum. Penes eas esse ignavum foedumque servitium excutere, & sese Romano imperio inferere. Se iis, sub

Digitized by Google

optimo ſuo Principe, fortunarum incrementum, &, quod in fortuna dulciſſimum eſt, ſecuritatem adpromittere. Adeſſe legiones, ſi admuerint, non in excidium, ſed in praeſidium paratas". Placuit imperii novitas & magnificentia: nec victa, ſed adquiſita eſt Arabia. Praecipuae urbes, Boſtra & Petra, ob mutatos dominos, laetitiam ſtatim teſtatae ſunt, hocque anno novae dominationis ſuaeque felicitatis tempora computare inſtituerunt. Nec minorem, quam Palma promiſerat, indulgentiam, expertae ſunt: ea quoque magnificentia adornata fuit Boſtra, ut Nova Trajana Boſtra nuncuparetur.

Cum ita creſceret imperium, contigit triſtiſſima ſex urbium clades: terrae motu collapſis Elaea, Myrina, Pitane & Cyme in Aſia, Opunte in Achaia, & Oritano in Euboea.

AN. V. C. DCCCLIX. AER. CHR. 106.

L. Ceionio Commodo Vero, L. Tutio Cereale conſulibus. Belli curas ne per hiemem quidem Trajanus omiſerat: immo cuncta paraverat, ut ei finem imponeret. Operi maxime inſtabat, quod nunc vincendae Daciae, poſt retinendae, plurimum inſerviret. Expertus enim priore bello, vi frigoris & gelu

Digitized by Google

diffractas esse naves, ortasque inde moras, cum magna laborum & impensarum jactura; ne id incommodi rediret, jusserat pontem in Moesia strui, qui Daciam Romano imperio adnecteret. Architectus fuit Apollodorus, origine Damascenus. Is magnificentiam, Principi insitam, animo ita complexus est, ut, licet postea in Urbe multa exstruxerit, quae admirationem vicerint, hoc tamen in opere major & praecellentior sit habitus. Pontem quidem in angusto Danubii sinu statuit. Sed quanto ibi arctior fluvius, tanto profundior erat & rapidior. Quadrato lapide positae sunt pilae viginti; singulae, super fundamentum, altae pedes centenos quinquagenos, latae pedes sexagenos, inter se distantes pedibus centenis septuagenis, & fornicibus concameratae. Opus, quamquam ante aliquot annos coeptum, nondum erat absolutum. Expeditus tamen transitus; tramissoque exercitu, Caesar sacrificiis & religionem & laetitiam testatus est.

Huc eum convenere Dacorum legati, pacem orantes: admissi quidem sunt, & auditi. Id tantum finebat Principis clementia. Nam super ceteras belli causas, regis per superiorem annum flagitia ultionem poenasque re-

Digitized by Google

poſcebant. Juſſus ergo exercitus progredi. Adventantem Principem, ſtructis aris, excepere milites, in Dacia per hiemem relicti. Dein ſuove taurilibus luſtratus eſt exercitus; tribunalque conſcendit Trajanus, & milites adlocutus, monuit, "adeſſe laborum finem: hunc annum aeternam ipſis gloriam, Romano imperio provinciam additurum. Macti virtute, in diſciplina militari perſtarent, qua una datum Romanis bellare & vincere". Mox quid cuique eſſet gerendum praeſcripſit. Tum pars in caſtra commeatus comportat, dum ſociorum cohortes & legionum vexilla hoſtem petunt.

Nacti agros, jam meſſibus albentes, eos demeſſuere, ut, cum anguſtior foret res, furor reſideret. Dein valido Dacorum oppido propinquatum, cujus tamen non ſtatim coepta obſidio, quod prope eſſet hoſtium exercitus. Placuit rem potius proelio tranſigere: conſternatis enim clade animis, certa deditio. Utrimque ergo inſtructae acies: atroci certamine conflictum eſt: ex utraque parte multae primum mortes, plurima vulnera. Prae ceteris tamen enituit unius ex equitibus Romanis virtus. Is, gravi vulnere ſaucius, ad tabernaculum erat delatus, ut, medici fo-

Digitized by Google

menta adhiberent: ibi audiit nullam ſibi eſſe ſalutis ſpem: cum adhuc ferveret ſanguis, & vires ſuppeterent, ſtringit gladium, equum ſcandit, praecipiti curſu hoſtem petit, lateque ſtragem facit, donec exſanguis, ſed ultus, corruit exanimus. Tali virtutis portento recrudeſcit militis Romani ardor: undique cadunt Daci; & per calcatas eorum ſtrages in ſuperſtitum excidium itum eſt. Tum in victoris poteſtatem ceſſit indefenſum oppidum.

Dato tempore, ut feſſus miles vires reſumeret, cuncta parata, quis praeſidium, locorum aſperitate & multiplici munimentorum ſerie & anfractu defenſum, expugnaretur. Admotae ſcalae: funditores lapidibus, ſagittarii telis eminus hoſtem adgrediuntur, dum alii muris ſuccedunt, qui cominus feriant. Contra Daci ingentes ſaxorum moles in oppugnatores devolvunt, eoſve ſagittis figunt. In longum trahebatur obſidio, ni veniſſet Trajanus, qui loca inſpexit, ac praeſentia conſilioque animos vireſque ſuffecit. Nihil tamen magis juvit, quam ipſa Dacorum audacia. Muros egreſſi, in Romanos impetum faciunt: at fortiter excepti, repulſique, caeſi fuere plurimi; ceteri in fugam acti. Occupa-

Digitized by Google

tum eſt praeſidium; & ne fiat aliquando hoſti ſuffugium, exſcinditur. Dein effoſſi putei, caeſa ſilva proxima, collectaeque materiae, ut inter arida petroſaque loca conſiſtere poſſet exercitus, nec munimentis careret.

Inde mota caſtra, & propinquatum Sarmizegethuſae; laeto milite, qui urbem adſpiceret, tot periculis quaeſitam, & tandem in opima ſpolia ceſſuram. Venit quidem unus e primoribus Trajano ſupplicatum. Inanes fuere preces; juſſuſque miles urbem occupare. At, horrendum dictu! furor hoſtem abripit: in ſe Romanis ſaevior, ſuam ipſe urbem regiamque flammis ſuccendit. Vitam quoque ſuam exoſus, commune init mortis concilium; ſtatuiturque in eorum medio vas ingens venenis plenum. Ut quiſque furore atrocior, rapidis hauſtibus mortem ebibit: hanc ſibi invicem propinant, & alacres miniſtrant. In hoc tamen morientium furore, ſuperſtes adhuc pietas; viſuſque pater morienti filio adſidere. Alii, quibus non ita ferox pectus, aut timidius, fuga novis ſe objectant periclis: dum quidam, quibus nondum inſana mens, ad Caeſarem confugiunt, ejuſque genua advoluti, vitam veniamque orant. Indignis quidem precibus nihil da-

Digitized by Google

tum: sed humanitati indulsit Princeps, ne pari suorum scelere vitam finirent.

Interea miles, urbem ingressus, loca flammis & cadaveribus foeda purgabat; quodque supererat commeatuum opumque, collectum. Reperta ingens frumenti copia, quae viritim militi data. Dein Caesar, milites adlocutus, jubet muniri castra, ut reliquum belli tuto peragatur.

Dum fervent operae, Dacorum primores Caesarem adeunt, seque ejus arbitrio permittunt. Is, increpita gentis pertinacia, & regis protervia, qui ante adrogans, nunc ignavus, fugitet, interrogat ubi lateat. Supplicum unus eum cum exercitus reliquiis ultra Sargetiam flumen fecessisse monstrat. Postquam Trajanus eos in fidem accepit, ligneo ponte Romanum exercitum trajecit. Daci haud procul tenebant locum, partim lapidibus, partim lignorum strue vallatum: cum defendi non posset, illum deseruere, ne numero obruerentur. Nondum tamen spe exciderant. Et cum Romani castra haud ita valida occupassent, Daci ausi sunt obsidionem tentare. At a coeptis brevi destitere, temeritate in ruinam cedente.

Digitized by Google

Tum adlati ſunt Trajano Decebali theſauri. Hos quidem Decebalus, praeſentium temporum formidine, averſo captivorum opera fluvio, & effoſſa humo, cum pretioſa vaſorum ſupellectile condiderat: deinde, injecta terra ſaxiſque adgeſtis, fluvium immiſerat. Quidquid autem aquis humentive ſolo corrumpi poterat, ſpeluncis fuerat abditum. Poſt captivi, quibus uſus erat, ad unum occiſi, ut loca ignorarentur. At Bicilis, Decebalo intimus, & ſecreti particeps, in adverſis Dacorum proeliis captus, loca aperuit; ſtatimque juſſa lecta militum manus ea ſcrutari, theſauroſque efferre. Militem, impoſito munere perfunctum, & complures equos opulentiſſima praeda onuſtos trahentem, pro tribunali excepit Caeſar, ejuſque fidem & diligentiam laudavit.

Interim Decebalus, hactenus vel ſua inter pericula interritus, ſenſit, capta regia, proditis arcanis, ablatiſque theſauris, cuncta ſibi periiſſe, nihil ſpei eſſe reliquum. At neque animo fractus, nec dejecto vultu, ſed firma voce, ſuos ſupremum ad loquitur: "Ad quas", inquit, "anguſtias fata res noſtras adegerint, cernitis: nec me veſtri, nec vos, opinor, mei poenitet. Quod penes nos fuit,

Digitized by Google

praeſtitimus. Honor, virtus, fortitudo in tuto ſunt. Diu victores, tandem vincimur. Id humanae ſortis eſt; quam quidem queri non poſſumus, cum, quod pleriſque hominum negatum eſt, longa felicitate frui & aeternum nomen parare nobis datum ſit. Illam ipſam, quae nunc imminet, neceſſitatem momento finire in noſtra manu eſt. Haec autem noſtra laus ſemper erit, numquam ſerviiſſe. Addet aetas poſtera ſemperque mirabitur, Dacorum gentem populo Romano, terrarum victori, reſtitiſſe: victos numeroſiſſimos ejus exercitus; captos caeſoſque duces, aquilam ſignaque rapta; Domitianum, ſuperbiſſimum Caeſarum, turpem in fugam actum: Romam, Romam ipſam nobis factam eſſe ſtipendiariam: annua tributa Domitianum, divum, ut vocant, Nervam, Trajanum ipſum pependiſſe. Nunc tandem victor eſt. At ne ejus quidem victoriae invideatis. Certior inde promptiorque noſtra ultio. Aliena rapienti nihil umquam ſatis eſt. Noſtro excidio audacior avidiorque Trajanus ſuum in exitium ruet. Atque utinam non me mea fallat mens, Roma undique raptis opibus jam corrupta, noſtris corruptior, citius in luxuriam, in ignominiam, ac tandem, fine

Digitized by Google

ferro, ſolis ſuis vitiis, pudendam in ruinam reſolvetur. Haec mea ſpes; eaque laetus, mortem ultro ſponteque obibo. Hoc unum ſupereſt, quo me mihi, me vobis approbem".

"Haec locutus, omnibuſque in admirationem defixis, genu terram tangit, Romaeque ruinam precatus, gladium jugulo imprimit. Multi, exemplum regis ſecuti, pariter in mortem ruunt. Alii, quibus mollior manus, ſe interficiendos tradunt. Quidam, quos vitae amor tenet, pretioſiorem ſupellectilem, quam ſecum tulerat Decebalus, tollunt, adeuntque Trajanum, hoc pretio vitam emercaturi. Manebant tamen adhuc Dacici exercitus reliquiae. Multi in armis palabantur, aut avia in caſtella ſeſe abdiderant. Ne quid hoſtile relinqueretur, eques pedeſque adverſus eos miſſus. Cito quidem Dacorum equites adſecutus eſt Romanus eques; & jam feſſos turbidoſque ita intercepit, ut penitus ſint deleti. Repertum Decebali cadaver, cujus amputatum caput caſtris illatum eſt: tum oſtentui habitum, dein Romam perferendum, ingens victoriae monumentum. Interim a Romano pedite palantes Daci aut caeſi, aut vinclis onuſti. Capta & incenſa caſtra. Horum unum pro muris etiam defendere auſi

Digitized by Google

bat quiſque optimum Principem reviſere, & propagatori imperii gratulari. Accrevit publica laetitia, cum acta eſt triumphi pompa, & ſpectata fortiſſimae gentis ſpolia. Nihil veteris magnificentiae tramiſſum: datum plebi congiarium, & pomerium Urbis amplificatum. Addidit Princeps ludos, quos immenſa munificentia per centum viginti tres dies edidit. In iis caeſa ſunt undecim millia ferarum pecudumve, decem millia gladiatorum certavere. Tantorum ſpectaculorum laetitia aucta viſu prorſus novo, & majeſtate populi Romani digniſſimo. Longus erat legatorum ordo, quos reges ſocii amicive Romam miſerant Trajano victorias gratulatum. Hos inter videbantur, qui a barbaris gentibus extremiſque Indis miſſi venerant, fama incertum an timore exciti. Eos omnes Trajanus in ſenatorum ſede ludos ſpectare voluit. Magnificum & ipſi erant ſpectaculum.

Mirum, ut efferbuere ingenia: ardent Principis laudibus ſeſe aeternitati inſerere. Graecis etiam verſibus Caninius Dacicum bellum complecti adgreſſus eſt. Juvabat virum altiſſimi ingenii, quodque ampliſſimis operibus increſceret, latam copioſamque materiam tractare, qua, quamquam in veriſſimis

Digitized by Google

rebus, fabulae licentiam aequaret aut superaret. Egregium enim dicere immissa terris nova flumina, novos pontes fluminibus injectos, insessa castris montium abrupta, pulsum regia, pulsum etiam vita regem, nihil desperantem. Super haec, actos bis triumphos, exultantisque Urbis faciem, qualem ne libertas quidem olim viderat.

Rariſſimam temporum felicitatem, ni excelsa fuiſſet Principi mens, luctuosam feciſſet aula. Ibi inviſum, quidquid eminet; locoque criminis eſt, Principis favor. Quiſquis apud eum amicitia praevalidus, palam quidem obſequiis, clam calumniis mactatur. Iis saepe jam petitus Licinius Sura, ſua integritate, Principis conſcientia, inimicos eluſerat. Novae, ideoque atrociores parabantur. Praeſenſit Trajanus; illuſtrique exemplo amicum iis exemptum voluit. Itaque ne vocatus quidem, dimiſſa cuſtodum corporis turba, Suram adit cenaturus. Ante oculario ejus medico oculos ſuos inungendos, tonſori radendam barbam permittit: ita lotus, cum amico recumbens jucundiſſimam init cenam. Poſtero die, cum adſtarent, qui Suram cruentarum machinationum inſimulabant: "Erratis", inquit, "ſi vitam meam

Digitized by Google

Sura peteret, heri eam eripuiſſet". Quo dicto adſerta tum Surae tranquillitas, tum Trajani gloria; qui norat amicitiis fortunam Principum indigere, praecipuumque eorum opus eſſe amicos parare, &, cum paraverint, defendere.

AN. V. C. DCCCLXI. AER. CHR. 108.

Appio Annio Trebonio Gallo, M. Atilio Metilio Bradua conſulibus. Auctis imperii opibus, ad publicam Urbis magnificentiam Trajanus curas vertit. Aderat Apollodorus, quem ſupra memoravi, vir vaſtiſſimi ingenii, & creatrice natura inſtinctus. Is vidit in foro Romano adultam eſſe populi Romani gloriam: divum Julium Caeſarem forum alterum ſplendidius addidiſſe, ingens coepti imperii ornamentum: ſuum, cum creviſſet Urbs, & terrarum orbi jura diceret, divum Auguſtum ſtruxiſſe; ibique clariſſimorum virorum ſtatuas, inſcriptis eorum laudibus, conſecraſſe, ut aſpectu & gloria virtus accenderetur: divum Nervam, novum a Domitiano inchoatum, ſed meliore dignum auctore, non modo abſolviſſe, ſed quidquid etiam anteactum, ſublimitate operum ſuperaſſe. Supremum, quod omnia vinceret, & aeternum foret Urbis monimentum, animo concepit.

Gran-

Digitized by Google

Grandioribus ausis utilitatem addidit. Nempe in hoc Urbis splendore fastigium Quirinalis montis centum octo & viginti pedibus adhuc adsurgebat. Complanato monte, vallibusque aequatis, Apollodorus forum imponere statuit, quod cuncta imperii decora, sacra, leges, ingenia complecteretur; eaque inter emineret Principis majestas, cum aeterna suscepti operis memoria.

Ob id delineavit forum, columnarum magnitudine & aeneis laquearibus superbum, in cujus atrio Trajanus aere expressus & equo insidens spectaretur. Fori fastigia inauratis equorum atque signorum militarium simulacris circumundique ornata. Insuper tropaeis & sejugi triumphali curru, cui superstabat Princeps, victricem laurum tenens & a Victoria coronatus, insignis porticus. Hinc juri dicundo basilica erat Ulpia: inde Ulpiae bibliothecae, quae non ingeniorum tantum, sed senatus & imperii monimenta includerent. Ibi quoque attollebatur magnifica templi moles, deorum, qui victorias tutaverant, imaginibus praefulgens. Haec inter sublimis columna marmorea, egregia arte sculpenda, ut cunctos Dacici belli eventus repraesentaret; eaque altitudine, quae,

Digitized by Google

intuentibus omnibus, quantum montis fuisset, tantis operibus egestum declararet. Columnae capiti imposita colossea Trajani statua, dextra orbem gestantis, siniſtra innixi hasta. Ceterum cum optimus Princeps in hos usus, neque aerarii, neque fisci opes impendi vellet, sed contractas tantum ex vendita Dacica praeda pecunias destinaret, foro inscriptum: EX MANVBIEIS. Ut placuit, plaudente senatu populoque Romano, operis meditamentum, quale nullum umquam fuit majus excogitatum, statim conquisitae operae, asportatae materiae; omniumque fuit impetus, ut quod erat artis, fieret celeritatis miraculum.

Interim altioribus curis distinebatur Princeps; certusque ex majestate simul & ex utilitate esse, ut Roma latius mari, quam terris praesideret, huc imperium propagare decreverat. Jam Oceanum, jam mare Mediterraneum tenebant classes Romanae. Sub ipso divo Claudio Caesare, jam agitata, ut ante memoratum est, per Rubrum mare commercia; sed tenuia & languida, quod nulla protegerentur classe. Adquisita Arabia, patebat tandem ille sinus, unde per Aegyptum Orientisque regna in immensum opes quondam diffusae. Ut nunc in Urbem confluerent,

Digitized by Google

Trajanus in mari Rubro classem instituit; aemulatusque, quod olim Sesostris Aegypti, Darius Persarum rex tentaverant, Ptolemaeusque Philadelphus promoverat, navigabilem alveum fecit; ducta a Babylone ad Heroum oppidum fossa, quae Nilum Arabicumque Sinum conjunxit. Praeter adsertam Arabiae fidem, his operibus hinc imminebat opulentis Aethiopiae oris, inde Indiam petebat, &, si laederetur commerciorum societas, bellum vastationemque spargere meditabatur. Numquam latius prudentiusque fuerat imperitatum: ita coalescente Romanae dominationis vi, ut nihil intus esset divulsum, nihil externum, nisi cum suo exitio, posset hostilia exercere.

Id tamen ausi Sarmatae, acti praedae cupidine. Compressi sunt ab Hadriano, qui tum legatus praetorius Pannoniam regebat; quantoque apud Trajanum favoris cupidior, tanto retinendae militaris disciplinae diligentior. Civilia quoque pari studio tractabat; & procuratores, quos non fiscus, sub optimo Principe aequus & modestus, sed privata avaritia ad injurias adigebat, coercuit.

AN. V. C. DCCCLXII. AER. CHR. 109.

Aulo Cornelio Palma II, Caio Calvisio

Digitized by Google

Tullo II consulibus. Annus inquies fuit terrae motibus. Iis tres urbes in Galatia prostratae. Perterritus quoque extremus Oriens, simul adeo atroci conflictatus fame, ut corporibus humanis vescerentur. Caesar, haud minus securitati, quam splendori Urbis intentus, haec mala pro virili portione praecaverat. Numquam enim major fuit annonae cura; &, ut ad posteros etiam ejus sollicitudo tenderet, reperit firmavitque pistorum collegium. Adversus quoque aut imminentes terrae tremores, aut Tiberis exundationes, quarum vim magnam jam exhauriebat fossa, a providentissimo Principe facta, uti supra relatum est, statuit, ne domorum altitudo sexaginta pedes superaret. Eadem caritas, assiduae per provincias largitiones, & continua in urbes beneficia; praecipuo tamen, ut Caesarem decebat, Italiae amore, cujus non modo commoditati, sed aeternitati in omnibus consultum voluit. Inde non quaesita, sed Principum beneficiis semper devota, erupit omnium veneratio. Undique, quod numquam ante auditum, propagatori imperii, locupletatori civium acclamabatur. Unus omnium timor, sola querela, quod aliquando fata optimum Principem raperent,

Digitized by Google

nec esset ei soboles, quam sui similem & heredem instituereret.

Circumspiciebat quidem Trajanus virtutes, quas in id fastigium adsumeret. At difficilis ob raritatem delectus, & semper anceps, quod privatorum virtutes plerumque in regnantium vitia cedant. Praeterea ambitione & cognatione gliscebat Hadrianus, Licinii Surae amicitia, Plotinae, Trajani uxoris, favore, oraculis etiam, quae semper audaciae prompta sunt, subnixus. Aderat & commendatio ob Sabinam, Marcianae, sororis Trajani, neptem, quam uxorem duxerat. Haesitabat tamen Trajanus, & reformidabat leve & versatile ingenium, Graecorum literis, moribus, artibus impensius, quam Principem decet, deditum, subdolum etiam, quod vitia & virtutes pariter simularet. Ut curatius introspiceretur, cumque Hadrianus fortiter in bello Dacico se gessisset, & recens Pannoniam egregie rexisset, hoc anno consul suffectus est. In eo magistratu a Sura comperit se esse adoptandum. Ubi primum id vulgari coeptum, semper pronis ad fortunae reverentiam animis, momento mutata de Hadriano hominum judicia. Ante ejus mores contemptui, artes irrisui habe-

Digitized by Google

bantur. Statim in immensum crevere virtutes: nulla fuere vitia. Passim, ut literarum & elegantiarum arbiter, celebratur: canere, psallere, mederi etiam peritus omnium laudibus attollitur: musicus quoque, & geometra, & pictor, & fictor ex aere, vel marmore, proxime Polycletos & Euphranoras, praedicatur. Has inter adulationes, seu virtus, seu invidia fuit, infensi manfere Palma & Celsus. Apollodorus autem, aemulationis expers, sed ingenita nobilitate ingeniorum, cum in ejus operibus aliquid coram Trajano Hadrianus arguisset, libere eum adlocutus: "Haec", inquit, "nihil ad te. Tuas cura cucurbitas". Quae nunc tanto patientius dissimulavit Hadrianus, quanto acriorem parabat ultionem, si umquam rerum potiretur.

AN. V. C. DCCCLXIII. AER. CHR. 110.

Ser. Salvidieno Orfito, M. Paeducaeo Priscino consulibus, Pantheon tactum fulmine; auctaque assiduis tempestatibus & crebris diluviis mala. Exundavit Tiberis, demissioribus ripis alte superfusus: ipse Anio, delicatissimus amnium, fractis raptisque, quibus inumbratur, nemoribus, late per agros, villas, tectaque disjecit, &, super ruinas evectus, pariter divitum adparatus gravemque

Digitized by Google

ſupellectilem, & ruris inſtrumenta, armentaque, boves & rectores abſtulit. Nec malo vacant, quos excelſioribus terris illa tempeſtas non deprehendit. Hos premit aſſiduus imber, & dejecti nubibus turbines. Proruta opera, quaſſata atque etiam decuſſa monimenta; multi ejuſmodi caſibus debilitati, obruti, obtriti; plurima paſſim damna. Repentinae calamitati ſubvenit Trajanus, Italiamque reſtituit. Egregium quoque ſubſidium paraverant jam diu coalitae pax & concordia, earumque comes abundantia. Magna quidem horum temporum laus, ſed non ita grata legentibus. Varietate placent bellorum motus & fori ſtrepitus: aequalem & inconcuſſam felicitatis tranquillitatem faſtidimus. At detur virtuti, detur exemplo, ſaepe cupita, raro viſa, & forte ſerius reditura, memorari tempora, quibus Princeps & populus mutuo felices, ſibi invicem plaudentes, laeti adquieſcebant: hic in reverentiam, ille in benevolentiam intentus. Praeeminebat quidem Princeps, non dignitate tantum, ſed, quibus ſemper certum Principibus placere, liberalitate & adfabilitate. Tantaque ejus popularitas, ut nimiam erga omnes comitatem amici culparent. At voces, veteris ſer-

Digitized by Google

vitutis retinentes, egregio, & per omnes aetates in Principum documentum ituro, corripuit dicto: "Talem se Imperatorem esse privatis, quales esse sibi Imperatores privatus optasset".

Inter eas civilis vitae delicias, nihil de Principalibus curis remissum. Novis quotidie operibus promovebatur publica commoditas. Jam superi inferique maris portus absolvebantur. Jam praeclara arte maximisque impensis strata erat per Pomptinas paludes via: eam produxit Caesar, & a Benevento Brundusium pecunia sua fecit. Ex altera imperii parte iter per feras gentes conditum, quo facile ab usque Pontico mari in Galliam permearetur. Simul Sauromatae regis amicitia disjunctas terras consociabat, Orientemque Occidenti connectebat. Tantam imperii amplitudinem, consensu validam, Trajanus novo firmavit invento, quo, quantum patitur hominum natura, omnia, numinis instar, intueretur, omnia exaudiret. Admota nempe publici cursus media, ut quicquid ubique e republica gerebatur, ocyus noscceretur, &, si quid egeret regimine, statim adesset Principatus vis & auctoritas.

Digitized by Google

Singulae imperii partes in optimo ſtatu erant conſtitutae. Novum ac mirabile ex ipſis Principis oblectamentis decus acceſſit. Ingens erat fama immenſarum navium, quas Aegypti reges & Hiero, clariſſimus Syracuſarum rex, quondam ſtruxerant. Trajanus haec artis miracula, bellis quidem & commerciis minus habilia, ſed ob magnificentiae & artificii commendationem aeternum memoranda, renovare atque etiam ſuperare adgreſſus eſt: ratus dignum eſſe populo Romano ſpectaculum, & intereſſe, ut, qui orbem virtute & armis viciſſet, eum quoque ingeniis & artibus vinceret.

Itaque quintodecimo ab Urbe lapide delegit Aricinum lacum, profundiſſimum, illimi aqua, nec ullis umquam cafibus obnoxium. Locus erat non modo viae Appiae vicinia, & Numae regis memoria celeberrimus, ſed amoeniſſimis quoque collibus, ſemper virentibus ſilvis, ſaluberrima aeris temperie, ditique ſolo, & laetis proſpectibus gratiſſimus. Ibi adgeſtis immenſis lignarum, pinearum, cupreſſinarum, querceārumque arborum ſtruibus cum ingentibus ferreorum, aereorum, & roboreorum clavorum acervis, ſtructa eſt navis, omnium, quae

Digitized by Google

umquam fuere, maxima, quingentos ſex pedes longa, lata ducentos quinquaginta tres, profunda ſexaginta. Prima cura fuit, ut tanta moles validiſſima compage coagmentaretur; iiſque in partibus, unde hiſcere potuiſſet, ſolidius firmaretur. Tabulae non junctae tantum, ſed minoribus tabulis, latis circiter quaternos digitos, per ſtriaturas infertis, connexae, & roboreis clavis conſtrictae: cautum tamen eſt, ne clavi foras exirent, ut exterior tabularum facies purior & firmior maneret. Nullus uſquam fuit ferreorum clavorum uſus, niſi iis in locis, in quibus aut rubigine infici, aut excidere, ſine ullo navis damno, poterant. Quidquid robuſtiore & perenni junctura fuit continendum, aereis clavis, quorum multi binos palmos erant longi, transfixum eſt. Ultra progreſſa eſt cura; juvitque, cum duraturum pararetur monumentum, extimam totam navim plumbeis laminis veſtire. At, ne quid humidi penetraret, ligneaſque materias corrumperet, inter navis tabulas & plumbeas laminas infarctae lanae ſuave olenti pice imbutae. Praeterea, ut pars navis, aquis mergenda, incorruptior foret, licet jam ibi major eſſet tabularum craſſitudo, duplicibus adhuc plum-

Digitized by Google

beis laminis redimita eſt: in ſuperiore autem dimidia parte ſimplices tantum fuere. Aereis clavis fixae erant laminae; &, ne deſideraretur elegantia, clavorum caput in radiantium ſtellarum formam erat figuratum.

Major in interiore nave, adverſus ignium vim arenato & lateribus veſtita, magnificentiae oſtentatio. Ibi ſtructa digna Principe, digna Trajano domus; praeter opes & decora, quae tantam ſemper ſequuntur fortunam, vermiculatis pavimentis, aereiſque trabibus ſuperba. Improviſum magis, eoque gratius, additum etiam ornamentum. Nempe e ſummo colle, qui trecentis circiter paſſibus adſurgit, Septemtrionem verſus, fons erumpit: ejus aqua plumbeis canalibus in navim perducta, ut & commoditati ſufficeret, & ſalientibus jactibus domus areas condecoraret.

Tantum artis prodigium ſtabat in medio lacu; ad ejus oras nave hinc & inde funibus adligata: nec ullus intumeſcentium aquarum metus, excavato intra montem per tria paſſuum millia emiſſario, quo ſuperfluum exoneraretur. Civium oblectamenta inter Principis delicias non omiſſa. Ambitu trium circiter millium paſſuum explanata via, lacui imminens, qua currus ducerentur. Inde pet

Digitized by Google

trecentos circiter paſſus facilis ad lacum deſcenſus; ibique, pari circuitu, multaque platanorum umbra, commoda peditibus deambulatio. Ipſo in lacu magna cymbarum copia, ut, quae quiſque longius ſuſpexerat, propius inſpiceret, adiretque, & Principis voluptatibus frueretur. Id autem tradidiſſe operae pretium fuit, cum nihil ſummum filere debeat Hiſtoria, prudenſque rerum non minus ex oblectamentis, quam ex conſiliis factiſve Principes aeſtimet.

AN. V. C. DCCCLXIV. AER. CHR. III.

C. Calpurnio Piſone, M. Vettio Bolano conſulibus. Structum in Martio campo amphitheatrum, thermaſque Urbi additas, aliaque complura monumenta, aut a Principe in publicos uſus, aut a populis in Principis venerationem poſita, licet egregia ſint pacis & felicitatis ornamenta, haud tamen recenſuerim, ne ſit ſimilia narrantis ſatietas. At, ob raritatem & exemplum, filere nefas amicitiae decora. Exoleverant cruenta illa tempora, quibus praecipua fuit Principatus lex: "Oderint, dum metuant". Trajanus, id atrox & Principe indignum ratus, ſe Titi aemulum ferebat; & ut, quas Titus orbi delicias promiſerat, ipſe faceret, ſe optimis

Digitized by Google

amicis accinxerat, quîs fine nihil datum Principibus magnum aut fuſcipere, aut peragere. Gloriam, quam eorum conſiliis ſibi peperit, cum iis communicatam voluit: eoſque conſulatibus extulit, honoribus proſecutus eſt. Vidit laeta civitas, non ob fortunam & opes, ſed propter virtutem & amicitiam, a Principe honoratos cives, ſtatuaſque in ejus foro poſitas Soſio Senecioni, Licinio Surae & Publicio Celſo.

Tanta Principis humanitate maleſanos animos ad ſcelus provocatos referre puderet, ni intereſſet illuſtri exemplo comprobare, turbida ingenia caeco impetu in novas res ferri, &, quamquam recti ſtudia ſaepe praetendant, ambitione tantum & audacia regi. Numquam id evidentius compertum, quam cum in ea reipublicae tranquillitate Craſſus, Laberius Maximus, aliique conjurationis ſocii, adverſus optimum Principem conſpiravere. Ultionem Trajanus, ſua conſcientia & populi amore tutus, dedignatus eſt. Senatus, non ex ſceleris atrocitate, ſed ex Caeſaris indulgentia, in reos animadvertit. Craſſus & Laberius Maximus inſulis clauſi ſunt.

Dum illi ſeſe in exitium praecipites agebant, Hadrianus fortunae validius ſe inſe-

Digitized by Google

rebat. Sura, quem modo memoravimus, mortalitatem expleverat, Principi ob familiaritatem, populo ob publicae magnificentiae ſtudium conditumque gymnaſium gratiſſimus. Ductum ei publicum funus; & in perennem memoriam, thermas, recens ſtructas, Trajanus de ejus nomine Suranas appellavit. Ejus ingenio in componendis Principalibus orationibus uſus erat Caeſar, non quod literas aut neſciret, aut deſpiceret: immo exſtant vel Graecis in literis ejus ingenii monimenta. At ab ipſa juventute in caſtris belliſque fuerat innutritus: dein Princeps vetera ducum exempla, militareſque artes, & imperii curas tractare, quam in operoſa verborum compoſitione, vix decora Principi, cum eam primis ab annis non calluerit, tempus terere, ſatius duxerat. In Surae locum dictandis orationibus Hadrianum adſumpſit. Magnum fuit & favoris & familiaritatis incrementum, quod Hadrianus blanditiis, Plotina artibus promoverant.

AN. V. C. DCCCLXV. AER. CHR. 112.

Trajano Auguſto VI, T. Sextio Africano conſulibus. Longa imperii Romani pace creverat Parthorum ſuperbia. Jam Pacorus hoſtilia tentaverat: majora ſuſcepit Choſroes

Digitized by Google

Hic, mortuo Armeniae rege, Exedari diadema imponere ausus est. Trajanus, ubi id nuntiatum est, Chosroi scripsit, "nihil adversus majestatem Romanam jusque imperii attentaret. Non Parthorum, sed Romanorum esse, Armeniae reges dare. Meminerit veterum temporum, & Neronis, qui id auctoritatis recens sibi vindicavit. Non passurum, se Principe, minui imperii decus: neque existimare se Chosroem bellum, quam pacem, malle. Jam a Ventidio, cum divisa ac turbulenta esset Romana res, superatos esse Parthorum exercitus: nunc integras bello paceque adolevisse Romani imperii vires; totasque externam vim propulsuras. Se esse hortatorem pacis: modo, ni consiliis annuat, ducem belli, laesaeque populi Romani majestatis vindicem fore".

Chosroes, insita Orienti vanitate, longinquas minas inrisit. Id Trajanus, haud illaetus, rescivit; quod, parta quaesitae pacis fama, loca paternis victoriis nobilitata reviseret, Alexandri Magni premeret vestigia, &, post propagatos ultra Danubium imperii fines, trans Euphraten Tigrimque Romanas aquilas ostentaret: ibi cum immortali sui nomine clarissima patriae tropaea positu-

Digitized by Google

rus; Indias etiam, si fata siverint, penetraturus. In has belli cogitationes intentus, incertosque mortalitatis casus reputans, quantum potuit, reipublicae consuluit; providitque, ut maneret Urbis felicitas, coeptaque in ejus splendorem opera absolverentur. Par circa provincias Principis caritas; cumque Neratium Priscum, virum, quem haec aetas virtutis laude & juris scientia summum tulit, adloqueretur: "Commendo tibi", inquit, "provincias, si quid mihi fataliter contigerit". Ubi cuncta dispositа sunt, vota suscepit Princeps, ut dii bellum prosperarent; senatus populusque Romanus, ut periculis immunem, salvumque, Principem optimum reducerent: additaque Trajano patri caelestis religio, ut filium ardua tentantem protegeret. Mox Trajanus profectus est, comitibus Plotina, quae numquam a marito discessit, & Matidia, cujus mater, Marciana, soror Principis, expleta mortalitate, deûm honores receperat. Hadrianus, Plotinae favore, inter legatos adscitus.

Cum id bellum moras pateretur, iter Trajanus ita instituit, ut in provinciarum utilitatem cederet; multasque invisit. Postquam Athenas advenit, ei occurrere Parthorum legati.

Digitized by Google

legati. Audita Trajani profectione, Chosroes territus, quod minis facta tam cito instarent, belloque invalidus, hos miserat, "ut pacem orarent; Armeniam peterent pro Parthamasiride, qui & ipse Pacori erat filius; nuntiarentque, Exedarem a se regno esse pulsum, quod adversus Romanos & Parthos aeque indigne se gereret". Legati, oblatis muneribus, regis mandata exposuere. Trajanus munera rejecit; idque tantum respondit: "Amicitiam operibus, non verbis, aestimari: se Syriam mox petiturum; ibique quid facto opus consulturum".

Inde Asia, Lycia, loeisque finitimis lustratis, flexit ad Aegyptum, ut turbatas res provinciae, mobilis & ventosae, at ob Urbis annonam cautius coercendae, componeret. Ibi hortantibus amicis, ut de belli eventu consuleret Heliopolitanum deum, cujus responsa magna celebritate multisque experimentis comprobata ferebantur; Caesar, ne qua humana fraus subesset veritus, prius religionis fidem exploravit; misitque signatos codicillos, ad quos sibi rescribi vellet. Deus jussit "adferri chartam, eamque signari puram, & mitti". Stupuere plurimum sacerdotes, qui conditionem codicillorum ignora-

Digitized by Google

bant. Hos vero maxima cum admiratione Trajanus excepit, quod ipse quoque puris tabulis cum deo egisset. Tum quasi religionis certus, aliis codicillis conscriptis signatisque consulit, "an Romam, perpetrato bello, rediturus sit". Vitem centurialem deus ex donariis, in aede dedicatis, deferri jussit, divisamque in partes sudario condi, ac proinde ferri. Obscurum responsum, nunc prout cuique sensus aut adulatio in varia tractum, post, cum defuncti Trajani ossa Romam relata sunt, ambitiose laudatum, Caesar ad properandi necessitatem melius convertit. Itaque compositis Aegypti rebus, vicinos adiit Judaeos, gentemque inquietem, & fanatico impetu malisque ad atrocia semper pronam, compescuit; ne quid turbarum retro audiret, dum Armeniis Parthisque incumberet.

Inter has peregrinationes, cum Hadrianus factus esset Athenarum princeps, quem Archontem vocant, mulier bicipitem fetum Romae edidit. Aruspicum responso in Tiberim abjectus est. Felicior fuit mater, quae Alexandriae uno utero quinque liberos genuit: hos Trajanus suis sumptibus ali jussit. Eadem anno sequenti tres peperit.

Digitized by Google

AN. V. C. DCCCLXVI. AER. CHR. 113.

L. Publicio Celso II, L. Clodio Priscino consulibus. Adserta per provincias tranquillitate, Trajanus Seleuciam venit. Urbi proximus est mons Casius, quem placuit Caesari conscendere, non modo, ut excelso ejus e cacumine quarta vigilia orientem per tenebras solem adspiceret, brevique circumactu corporis diem noctemque pariter experiretur; sed major erat religio Jovem, summum loci numen, venerari; eique argentea vasa aliaque Dacicae victoriae monimenta sacrare. Pietatem Caesaris carmine Graeco celebravit Hadrianus, quem nulla umquam fugit placendi occasio. Inde Antiochiam ventum. Ingens fuit ob receptum Principem urbis laetitia, sed in Christianorum luctum versa.

Supra memoravimus Trajani literas, quibus Christianos quidem conquiri prohibitum. Id ultro indulserat Caesaris clementia. At, si deferrentur & arguerentur, eos puniri jussum; quod vetita esset externa quaeque religio, ni a senatu probaretur. Ignatius, Antiochiae Christianorum antistes, difficilia tempora, quibus multi periere, erat elapsus, cum, tandem accusatus, coram Trajano sistere se jussus est. Is pervicax perstitit, se-

Digitized by Google

que *Theophorum* dicebat. Trajanus jubet, "eum comprehendi, duci Romam, & in amphitheatro beſtiis objici, ut populus Romanus *Theophori* ſpectaculo fruatur".

Tum Caeſar ad belli curas converſus eſt. Eum convenit Arbandes, Abgari, Arabum regis, filius. Pater, qui regnum magna pecuniae ſumma a Pacoro redemerat, fidem exuere nondum audebat: cupidus tamen gratiam apud Trajanum occupandi, filium praemiſerat, qui munera & obſequia deferret. Juvenem, vultu formoſum, procerum corpore, aetate florentem, multa cum humanitate Caeſar excepit: amice tantum queſtus, quod ad legationis officia, non in belli & periculorum ſocietatem veniſſet; ejuſque inaurem attrectans, (illi enim gentili de more perforatae aures, & aureis inauribus onuſtae) "hanc tibi", inquit, "libenter avellerem, ut in poſterum non hoc cultu, ſed armis, Romanum Imperatorem adeas". Alia addidit filio patrique grata.

Dein Antiochia profectus eſt cum valido exercitu: geminus ei erat, alter legionum, alter ſociorum: ingens inſuper auxiliarium copia, & multi in numeros relati. Armeniam primum petiit. Ut ejus finibus propin-

Digitized by Google

quavit, undique in occurſum & veneratio-nem adcucurrere vicini ſatrapae regeſque, ſua quiſque offerentes munera, & ſi quid haberent ſingularitate curioſum oſtentantes. Haec inter viſus equus, doctus anteriora ge-nua flectere, cervicemque pedibus ejus, qui prope aderat, ſubmittere. Dum fervent ſa-lutantum officia, Parthamaſiris, adverſus in-gruentem belli procellam impotens, literas ad Trajanum miſit, uſurpato regis nomine. Nihil ei reſcriptum. Alteras, omiſſo regis titulo, ſcripſit; petiitque ad ſe mitti Marcum Junium, Cappadociae praeſidem, quicum ageret. Trajanus, Junii filio eum adire juſſo, ipſe Samoſata proficiſcitur, quibus ci-tra pugnam potitus eſt. Mox, ne Parthama-ſiris nectendo moras illuderet, magnis itine-ribus indefenſam Armeniam penetrat; captif-que Satalis, Anchialum, Heniochorum & Machelonum regem, ob fidem, donis remu-nerat. Deinde occupat Elegiam: ibi munita caſtra; dataque Parthamaſiridi Caeſarem ad-eundi copia. Is, intra caſtra pro tribunali admiſſus, Trajanum ſalutat. Nihil autem humile, nihil abjectum reputans, dum re-gnum obtineat, diadema capiti detrahit; eo-que ante Caeſaris pedes poſito, ſtat ſilens &

Digitized by Google

venerabundus, ejus juſſa opperiens. Miles, laetus videre Arſacidarum ſanguinem, Pacori filium, Choſrois fratre genitum, quaſi captivum, ante Romanam majeſtatem demiſſum, ingenti clamore Trajanum, ut victo hoſte profligatoque bello, imperatorem conſalutat. Improviſo tumultu horret Parthamaſiris, eumque ſui injuriam interpretatus, fugam trepidus circumſpicit. At ſe undique cinctum milite intuens, haeret, & deprecatur, "ne in tanta turba eloqui cogatur". In Principis tabernaculum deducitur; regnumque orat: ſed nihil impetrat; certo Caeſare, Armeniam Romano imperio continere, dum Parthico bello diſtineretur.

Parthamaſiris, nulla regni ſpe ſubnixus, iraque infremens, e tabernaculo exſilit. Jam caſtrorum medium attigerat, cum illum arceſſi jubet Trajanus, ne, ſi inauditus recederet, quae inter ipſos ſecreto erant agitata, falſis rumoribus corrumperentur. Itaque iterum conſcenſo tribunali, imperat Parthamaſiridem adſtare, &, prout libitum, cauſam orare. Is adhuc ira & amiſſi regni deſiderio incenſus, in libera prorumpit verba: "Sé non victum, non captum bello: ſed ſponte veniſſe, ratum, apud Principes invio-

Digitized by Google

latam esse Principum dignitatem: nec se aut nova, aut indebita petere. Idem a Nerone Tiridati datum; prioresque Caesares cum Arsacidis non ut hostes, sed ut amicos egisse. Se primum esse delectum, ut per sui contumeliam in regum injurias iretur". Trajanus, libertate haud offensus, sed dignitatis retinens, respondit: "Eam esse populi Romani aequitatem, ut neminem laedat: eam majestatem, ut nec reges despiciat, nec timeat. A Pompeio prioribusque Caesaribus Armeniam regibus permissam, quod id tunc tranquillitati publicae expediret. Nunc Chosroem amicitiae foedera violasse; datisque Armeniae regibus, dominationis Romanae jura perfregisse: ea se sarta tectaque velle; & in posterum non regnum, sed provinciam fore Armeniam. Sibi autem sacra esse gentium jura: nec Parthamasiridem suis in castris captivum attineri. Quo vellet, abiret; Parthique, qui eum erant comitati, sequerentur". Armenii autem, qui cum eo venerant, cum & ipsi, ut & eorum patria, pars essent imperii Romani, manere jussi sunt. Parthamasiridi additi equites, qui eum ducerent, ne forte, dum discederet, turbas seditionesve machinaretur.

Digitized by Google

Tum reliqua Armeniae occupata: vicini reges in fidem receepti, aut, si repugnavere, non proeliis, sed auctoritate, in ditionem redacti. Castris praesidiisque munita provincia, Trajanus Edessam profectus est, ut Parthicum bellum disponeret. Abgarus, qui, missis saepe legatis & muneribus, amicitiam ejus coluerat, ei occurrit; obtulitque ducentos quinquaginta equos, totidem loricas atque ephippia, & sexaginta millia telorum. Tres tantum loricas accepit Trajanus: cetera remisit, sponte indulgens Abgaro, quod non prius in ejus conspectum veniisset. Inde Edessam ingressus est. Magna fuit ob ejus adventum laetitia. In convivio rex filium suum barbarico de more saltantem induxit; regnumque, quod a Parthis, ut jam retuli, redemerat, Principi ultro offerebat, in obsequia eo effusior, quo serior.

Interim Ignatius, quem supra memoravi, Romam pervenerat. Cum instaret ludorum finis, XIII Kal. Januarias leonibus objectus est, statimque discerptus; mortis, quam hominum vulgus vitae, avidior. Non in Urbe tantum, sed in provinciis visa eadem Christianorum alacritas; iisque profuit. Puduit enim morte punire, quibus volupe erat mori.

Digitized by Google

Sic reſtincta, quae adverſus Chriſtianos efferbuerant, odia: cumque Tiberianus, Judaeae praeſes, Trajano ſcripſiſſet, ſe in eos animadvertendo eſſe imparem, quod ſponte laetique ſupplicia provocarent, Caeſar prudentia ſimul & clementia inutiles poenas prohibuit.

AN. V. C. DCCCLXVII. AER. CHR. 114.

Q. Ninnio Haſta, P. Manilio Vopiſco conſulibus. Praeter laetos receptae Armeniae nuntios, forum & columna, ſplendidiſſima artium miracula, recens abſoluta, Urbem gratiſſimo ſpectaculo recreabant. Conſentientibus ſenatus & populi votis dedicata ſunt; cunctique jactabant "terram triſti pyramidum mole non obrui, nec peregrinas obeliſcorum formas operoſius, quam glorioſius, oſtentari: tandem Romam ſuis artibus victoriarumque ſuarum monimentis ſplendeſcere, & ſupra quidquid priſca aetas praedicavit evehi". Iterum Principi additum eſt *Optimi* cognomentum; rara & majore, quam ante, gloria: cum praeproperae laudis toties populus poenituerit, puduerit Principes. At idem erat poſt tot annos Urbis ſenſus, eadem Principis virtus. Pace belloque inclaruerat. Novum decus ex Parthicis rebus acceſſit.

Digitized by Google

Dum bellum per ſuperiorem annum in Armenia flagrabat, Mannus, Arabiae, quae Meſopotamiae contermina eſt, rex, & Sporaces, Anthemuſiae phylarchus (id ibi nomen regibus), ſeu fide in Parthos, ſeu ob incertos belli eventus ambigui, neque Trajanum adierant, neque legatos miſerant. Eorum quoque exemplum ſecutus Maniſarus, licet inteſtinis cum Choſroe diſſidiis Armeniam Meſopotamiamque occupaſſet, tuncque eos inter vigerent hoſtilia. At ubi audiere, Caeſarem, Meſopotamiam ingreſſum, ad Abgarum veniſſe, ſtatim miſere, qui de pace componerent. Maniſarus ſe regionibus, quas occupaverat, ceſſurum pollicebatur. Reſpondit Caeſar: "Veniret ipſe, fidemque factis, non verbis, probaret". Suſpectus magis Mannus, quod copias Mebarſapi, Adiabenes regi, ſubminiſtraſſet. At Caeſaris diligentia fuerant interceptae. Ne aut ſocietate, aut tempore, valeſcerent, viſum ſatius eſſe, eorum obſequia imperare, quam exſpectare. Itaque Trajanus, ſuadente Abgaro, Anthemuſiam profectus eſt, ut inde Adiabenen peteret.

Certus autem, longinqua in primis bella imperatoris exemplo & militari diſciplina

Digitized by Google

profligari, pedes cum exercitu incedebat, tranabatque flumina: militari victu, lardo, caseo, posca contentus. Si movenda erant castra, ipse instruere exercitum, ordinesque pro locorum temporumque varietate disponere: idemtidem falsos etiam rumores spargere, ut vigil & impiger miles bellum caute capesseret. Cum in exercitu nihil esset vagum, nihil solutum, ducesque Caesaris exempla aemularentur, quidquid armis petitum, cessit. Capta Anthemusia: adquisita Arabia. Lusius Quietus, bello Dacico clarus, Singara aliaque Mesopotamiae oppida citra pugnam potitus est. Nisibin, urbem validissimam, Batnasque Caesar expugnavit. Tum cum ultra Euphratem victrices aquilae dominarentur, regnaque, Parthici imperii decora & auxilia, parere essent coacta, Caesar *Parthicus* appellatus est. Glorioſum quidem nomen; sed ei laetum magis nomen *Optimi:* quod in illo bellicae tantum virtutis laus erat: in hoc autem, praeter animi morumque commendationem, se amare populum, se a populo redamari audiebat.

AN. V. C. DCCCLXVIII. AER. CHR. 115.

L. Vipstanio Messala, M. Vergiliano Pedone consulibus. In Oriente summa erat

Digitized by Google

Romani nominis claritas; in Urbe abundantia & opes. Has amplificaverant Dacia & Pannonia, metallorum feraces. Auro, argento, aereque effoſſis, quod fuit monetae aut uſu detritum, aut fraude adulteratum, aut avaritia clauſum, reparatum eſt; verſaeque in victoriarum monimenta divitiae, Caeſaris virtute & providentia partae. Talibus monimentis materiam continuo ſuppeditabant, qui ex Oriente adferebantur, nuntii. Simul creſcebat amor Principis, qui tot ſe objectabat periculis. In Urbe, in provinciis vota pro ejus incolumitate ſuſcepta; &, ut praeſens ſemper foret pater patriae, paſſim poſitae ejus imagines.

Ipſe interim per domitas gentes Romanam dominationem firmatum ibat. Parthamaſiride occiſo, Armenia & Meſopotamia in poteſtatem populi Romani redactis, capta & Parthia: Cardueni Medi, Mardique occupati: Iberorum, Sauromatarum, Boſporanorum, Arabum, Oſroenorum, Colchorumque reges in fidem accepti. Et, ut Oriens intelligeret, Romanos non capere terras, ſed injurias ulciſci, & pacatum orbem velle, Trajanus terras victoriis partas diribuit, regeſque impoſuit, qui auctoritate populi Romani jura po-

Digitized by Google

pulis dicerent. Magnifica semper scena, laetissima fuit, cum in hostili ante solo, procul a priscis imperii finibus, praesente victore exercitu, visi sunt tres reges, nudo capite supplices, Caesaris jussa excipere: iis obsequia professis adsignata regna.

Tum placuit Caesari eorum fidem absentia experiri: simul mens erat imperii rebus propius consulere, ut, cum cuncta forent tuta, bello Parthico finem audentior imponeret. Itaque destinavit hiemem Antiochiae agere. Ut eam urbem, Syriae caput, repetiit, illuc undique confluxit infinita hominum multitudo: alii, ut publicas privatasque res, alii, ut externas tractarent: multi, ut optimum Principem, tanta victoriarum fama praefulgidum, spectarent & venerarentur. Pedo quoque consul Roma advenit. Aderat & ingens militum copia. Ne iis quidem temporibus, quibus valuit Oriens, umquam fuerat Antiochiae tam magna hominum vis, tanta imperii majestas. Splendida laetaque urbis facies momento funeribus & luctu mutata. Praeceffere quidem fulmina, tonitrua & insolita ventorum procella, haud credita tamen tantorum malorum praenuntia.

Digitized by Google

His autem ſopitis, a. d. decimum Kal. Januarias ante diluculum auditus repente terribilis ſonus; ſimul intumeſcit, tremitque terra: nutantia hinc inde moenia tectaque attolluntur: mox pondere depreſſa & mutuo occurſu arietantia, horribili cum fragore columnis, trabibus, lateribus, ſaxiſque crepitantibus, ruinas per vacuum etiam viarum arearumque ſpargunt. Avulſae quoque radicitus arbores ſurſum vibratae ſubſultant. Hos inter ſtrepitus tam denſa cooritur pulveris nubes, ut nec videre, nec loqui, nec audire quiſquam valeat. Interim immenſa hominum vis exanimatur: alii ſub tectis oppreſſi: alii, dum tentant fugere, multiplici ruina eliſi, aut obruti. Triſte in hac ſtrage ſubſidium mors. Sors enim triſtior hos manet, quos parte tantum corporis obtritos premunt columnarum trunci, trabiumve aut ſaxorum fragmina, mortis certos, in tormenta vivaces. Dies multos, multas noctes duraverat horrendus ille motus, cum tandem reſedit. Tum viſi, qui evaſerant: pauci quidem incolumes, multi cruribus brachiiſve fractis, alii rupto capite, alii ſanguinem evomebant: hos inter fuit Pedo conſul, & paullo poſt exſtinctus. Ut oppreſſis, ſi qui adhuc vive-

Digitized by Google

rent, ſubveniretur, mota urbis rudera. Dum fervet flebilis labor, audita unius mulieris querula vox, quae ſe & infantem lacte ſuo paſta, una cum infante eruta eſt incolumis. Ceterorum reperta tantum cadavera, praeter tenellum puerum, mortuae matris ubera adhuc ſugentem. Unicum fuit tantae cladis ſolatium ſervatus Trajanus. Ubi primum terra intremuit, per feneſtram ex aedibus evaſit; occurritque vir corporis vi & proceritate inſignis, qui eum leviſſimo tantum vulnere ſaucium foras eduxit. Dum duravit motus, in Circo ſub dio egit.

Extra urbem ſaevierat tremor; multaeque urbes adflictae aut verſae. Caſius mons, Antiochiae imminens, ita concuſſus eſt, ut inclinata ejus culmina novam ruinam minitarentur. Alii montes ſubſedere: emiſſi novi aquarum rivi: ſiccata veterum loca.

AN. V. C. DCCCLXIX. AER. CHR. 116.

L. Aelio Lamia, Aeliano Vetere conſulibus. Proviſis, quae reſtituendae Antiochiae ſublevandiſque miſeris erant opportuna, Caeſar bellum Parthicum eo acrius repetiit, quo, breve & incertum vitae expertus, cito parandae immortalitatis cupidine flagrantior. Superiore anno, antequam Antiochiam pro-

Digitized by Google

ficiſceretur, cum ſumma eſſet circa Tigrin lignorum raritas, jufſerat apud Niſibim, ubi magna erat eorum copia, naves fabricari, ita tamen paratas, ut ob faciliorem uſum & conjungi & diſſolvi poſſent. Hae cum fuiſſent ſtructae, plauſtris comportatae ſunt, ut ad Gordyaeos montes Tigris ponte jungeretur. Adverſa ripa barbaris erat inſeſſa: eorum vim infringere opus fuit. At cum maximus eſſet navium numerus, ingenſque Romanus exercitus, pars naves, gravis armaturae milite & ſagittariis plenas, in barbaros dirigunt, pars per diverſa loca trajectum minantur: ſimul alii mira cum alacritate pontem inſtruunt. Conſternati barbari tanta navium multitudine, maxime in locis ſilvarum nudis, & veriti, ne invadantur, diffugiunt. Libero tum tranſmiſſu, Caeſar ineunte vere Adiabenen ingreditur.

Cum exercitus Adenyſtris (munitiſſimum erat Adiabenes caſtellum) propinquaſſet, Sentius centurio, legatus Mebarſapi ante miſſus, & ab eo cum ſociis perfide detentus, inditiſque vinclis caſtello abditus, occaſione uſus eſt. Conſilio cum ſuorum audaciſſimis inito, rumpit vincula, praefidii praefectum interficit; ſuiſque in libertatem vindicatis, ſe

ad

Digitized by Google

ad exercitum recipit. Comite victoria, peragrata est Adiabene, & in ditionem redacta. Juvit invisere celeberrima Orientis loca, Ninon, clarissimam quondam regum Assyriae sedem, Gaugamela, vicum Darii castris notum, & Arbela, quis aeternam gloriam circumdedit Alexandri Magni victoria.

Inde per vastam hostium solitudinem Babylonem ventum. Intestinis discordiis ita exhausti fuerant Parthi, ut ne conspectum quidem Romani militis sustinere auderent. Trajanus lustravit urbem, Chaldaicarum gentium olim caput, nunc Medorum Parthorumque invidia exinanitam, sed vel suis in ruderibus venerandam. Aedes adiit, in quibus Alexander mortalitatem exuerat. Cum ei parentasset, invisit aggerem, opus, ut ferebatur, Semiramidis, altitudine pedum viginti quinque, latitudine pedum quinquaginta, longitudine ducentorum stadiorum: magnum veteris magnificentiae monumentum. Vidit quoque lacum bituminis, quo ferruminati Babylonis muri; specumque halitus tam pestilentis, ut quodque animalium & volucrum genus, vel tenuissimo ejus spiritu adflatum, exanimaretur.

Digitized by Google

Artis & naturae mira ſpeculatus, ad ingentia, quae volvebat animo, conſilia curas vertit. Deſtinaverat foſſam ab Euphrate ad Tigrin perducere, ut, tranſvectis navibus, Tigrin ponte jungeret. At Euphrate multo excelſiore comperto, quam Tigri, conſilio deſtitit, ne immiſſus Euphrates exhauriretur, tollereturque ejus navigatio. Itaque juſſit naves machinis trahi; iiſque per breviſſimum Euphraten inter & Tigrin ſpatium deportatis, cum Seleucia prius eſſet potitus, Cteſiphontem occupat. Fugiente ſemper hoſte, capta Choſrois filia, aureaque Arſacidarum ſella, tot regum regnorumque opibus ſuperba. Trajanus, victor Parthorum, *imperator* conſalutatus eſt, iterumque *Parthicus* cognominatus. Trecenta quinquaginta millia paſſuum ultra Cteſiphontem adhuc progreſſus, Suſam cepit, veterem Perſarum regiam.

Tantarum fortunarum nomina, Aſſyrii, Medi, Perſae, Parthique ditioni Romanae accefferant. Cum haec Romam nuntiata, a ſenatu decretum eſt, ut Trajanus triumphos, quotquot vellet, ageret. At is propagandi imperii & augendae famae cupidior, voluit Perſicum ſinum & mare Rubrum ſcrutari. Haud ingens ei claſſis, Caeſare tamen digna.

Digitized by Google

Quinquaginta erant naves, quarum quatuor, imperatoriis ſignis ſplendidae, praetoriam navem funibus adligatam trahebant. Haec autem longitudine triremem, latitudine & altitudine onerarias naves, quanta maxima eſt vel Nicomedea, vel Aegyptiaca, aequabat. Ejus apluſtria auro inſignia, ſummoque in velo Trajani nomen & imperatoris tituli praefulgebant. Intus conclavia erant, quae numero & ornatu Caeſaris fortunam decerent. Claſſis tres in partes diviſa eſt, ne, ſi continuo ordine ſuccederet, inter ſe adliſis navibus, curſus interturbaretur. Appulit ad Meſenem, Tigris inſulam, in qua regnabat Athambilus, qui ſe ultro ditioni Romanae ſubdidit, & tributa ſe perſoluturum ſpopondit. Cum inde proveheretur claſſis, vi tempeſtatis, fluminis violentia, aeſtuque maris ita conflictata eſt, ut ſummum in diſcrimen Trajanus foret adductus, ni, qui Characem, oppidum Paſitigri proximum, incolebant, parebantque Athambilo, eum perhumaniter excepiſſent.

Defunctus periculo, & audentior, Oceanum ingreditur. Cum in ejus naturam inquireret, vidit navem, quae in Indiam curſum dirigebat. Olim lacrimas divo Julio ex-

Digitized by Google

cufferat viſa Alexandri Magni imago. Ipſe Alexander inlacrimaverat, audito partem orbis terrarum, quam non viciſſet, ſupereſſe. Trajanus, utrique par animo, virtute melior, ſuam tantum aetatem queritur. "O ſi", inquit, "forem juvenis, Indiam peterem". Mox gloriae impetu aeſtuans, populorum mores, vires, opeſque ſciſcitatur: quae ſit caeli ſolique natura, interrogat. Comperto tertiam hanc eſſe terrarum partem, numeroſiſſimas gentes, incredibilem agrorum fertilitatem, infinitam opum copiam & varietatem, miram aeris ſalubritatem, alibi effoetam, hic vegetam eſſe naturam, "beatum" pronuntiat "Alexandrum: ſe illo longius progreſſurum fuiſſe, & ultimos Orientis ſinus ſcrutaturum". His cogitationibus plenus, literas ad ſenatum ſcribit, quibus, quas vicerit gentes, quas victas velit, ſignificat.

At fortuna virtutis, quae mortalium ſortem ſupergreditur, ſemper invida, crudeles parabat ludos, & momento tot victorias funeſtare contendit. Amici victique reges, rebellionis turbine circumacti, undique conſpirant: in praeſidia apud ſe relicta, aut impoſita, inſurgunt. Alia pulſa, alia caeſa. Haec audit Trajanus longinquo in mari, pro-

Digitized by Google

cul a caſtris, cum paucae adeſſent naves, exigua militum manus: audit tamen interritus, nec umquam major viſus. Hoſtium turbas, ut ſuas ante acies, dividit; mittitque Maximum, Luſium Quietum, Erucium Clarum & Julium Alexandrum, expertos probatoſque duces, qui rebelles comprimant, dum ipſe petit Cteſiphontem, ut Parthos contineat. Nec adeo iniqua fuit ſors, ut nihil opis relinqueret. Manſit enim Athambilo fides, magnumque fuit renaviganti Caeſari ſubſidium. Parthi quoque, ſeu terrore, ſeu impotentia, in ceterorum furorem non adacti. Cum ferveret adhuc rebellionis aeſtus, Maximus proelio victus occubuit. Luſius Quietus, eum ultus, Niſibin recuperavit: mox Edeſſam petiit: infenſuſque Abgari perfidiae, expugnatam urbem primum direptioni permiſit, deinde incendio abolevit. Antea Erucius Clarus & Julius Alexander Seleuciam ceperant. Urbem, plebis urbanae ſexcentis millibus potentem, ut exemplo & oſtentui eſſet, delevere & incendere.

Ex adverſo Seleuciae Caeſar Cteſiphontem tenebat; cunctaque ejus praeſentia erant tranquilla. At ne, cum abeſſet, Parthi nova molirentur, placuit iis regem imponere. Qui

Digitized by Google

tum aderant, Romani Parthique, in ingentem planitiem convocati sunt. Structum ibi excelsum tribunal Caesar conscendit: ante tribunal inter Romana signa stabat Parthamaspates. Tum Caesar orsus a deûm favore, qui ipsum populumque Romanum ad id felicitatis evexerant, ut quidquid fuerat discordiarum, continuo victoriarum cursu esset sedatum, paxque Romana ultra Euphratem atque Tigrin diffusa; deos precatus est, "ut Romam subditosque populos aeternae pacis foedere consociarent. Non sibi curae esse immensos imperii fines, infinitas opes, interminatam potentiam: at cordi esse orbis pacem, securitatem, felicitatem. Haec sua esse vota; hanc unam se reputare gloriam, hanc solam cupere". Dein flexa ad Parthos & Parthamaspaten oratione, illos fidei admonuit. "Discordiis imperiorum ruinam, populorum exitium peti: testes ipsos esse, qui antequam victricibus Romanorum armis subderentur, intestinis dissensionibus florentissimum suum imperium jam exinaniverant. Excidio flammaque vastatam Seleuciam documento esse, quae sors discordes rebellesque maneat". Parthamaspaten dein adlocutus, eum ad humanitatem, clementiam, aequita-

Digitized by Google

tem, principatuſque curas hortatus eſt. "Iis virtutibus ſe Romae, ſe ſuis populis approbaret. Intelligeret tandem Oriens, quantum ſuperbiae praeſtet regnantum modeſtia; ipſeque experiretur, quanto dulcius ſit amantibus, quam ſervientibus, populis imperare". Tum per praeconem regno regnique conditionibus pronuntiatis, Parthamaſpates, flexo genu, ſuppliceſque manus tendens, diadema, dignitatis inſigne, accepit. Ab Urbe condita, & apud gentes, quae memoria hominum latius ſunt dominatae, nondum illuxerat tanta, tam ſpecioſa dies, cum ab extrema Britannia ad Parthiam uſque per quadragies centena millia paſſuum Caeſar jura diceret, regna diriberet. Tigris Romanae dominationis terminus inſtitutus eſt.

Talem imperii felicitatem intervertere ſe poſſe rata eſt fanatica Judaeorum gens. Ingenio & calamitate ad furorem prona, animos ſuſtulerat, Orientis motu inflata. Gliſcere quoque coeperant oracula, miſeris turbulentiſve hominibus ſemper parata, quae funeſta diraque imperio portendebant. Iis omnibus accenſi, cum undique terrarum & lucri cupidine & ſcelerum poena ſint diſperſi, uno & eodem impetu per Cyrenaicam pro-

Digitized by Google

vinciam, Aegyptum, Cyprum insulam, & Mesopotamiam debacchantur. Quidquid ibi aut Romanum, aut deorum religionibus imbutum, ut impium, prosternunt & discerpunt. Quanto plus audaciae, tanto plus crudelitatis. In Cyrenaica, duce Andraea, eo ferociae prorupere, ut ducenta viginti millia hominum horribilibus suppliciis ludibriisve absumpserint. Pasti humana corpora, eorum redimiti visceribus, obliti sanguine, pellibus induti, furiati discurrunt, & interceptos aut a cervice ferris medios diffecant, aut objiciunt bestiis, aut invicem pugnare & perire cogunt. Vastata Cyrenaica, atrox illa procella per Aegyptum diffunditur, quam Lucuas dux jam caedibus foedaverat. Effera magis per Cyprum insulam Artemionis rabies. Is urbem Salamina subvertit, & ducenta quadraginta millia hominum internecione delevit. Eadem efferbuerat per Mesopotamiam atrocitas: sed a Lusio Quieto Judaeorum excidio statim fuit oppressa. Nec tarda fuit ubique vindicta, ubi primum a consternatione resipuere animi. Lupus, Aegypti praefectus, ipsique Aegyptii hanc pestem abolevere, & Judaeorum, qui Alexandriae agebant, sanguine fuit expiata. In Cy-

Digitized by Google

pro insula, Martius Turbo, vindex sceleris missus, Judaeos omnes interfecit; & in posterum statuta poena, ut si quis hujus gentis homo Cyprum appelleret, tempestatis etiam vi delatus, capital foret. Ut repente exortus, sic repente oppressus furor ille Judaicus.

Dum tantis rerum conversionibus ludebat fortuna, lusit & natura singulari sexus mutatione. Mulier, Laodiceae nupta, vir evasit; & quae modo erat & appellabatur Aeteta, fuit & dictus est Aetetus.

AN. V. C. DCCCLXX. AER. CHR. 117.

Quinctio Nigro, C. Vipstanio Aproniano consulibus. Crebrescebant oracula, malorum praenuntia; ipsumque mensem Mesori (id nomen apud Aegyptios Augusto mensi) feralem designabant. At publicam laetitiam in tanto imperii splendore nihil morabatur. Senatus, lectis, quas a Trajano missas memoravi, literis, & cum continuo aliae afferrentur, quae ne notas quidem nomine subactas gentes nuntiabant, decrevit "Principem de quotcumque provinciis vellet triumphos acturum": arcum quoque in ejus foro strui jussit, Parthicae victoriae monumentum, ut columnam, Dacicae. Additum, "ut senatus redeunti Principi longius, quam solitum, obviam procederet",

Digitized by Google

Caesar autem, firmandae dominationi intentus, Atrenos, qui in prioris anni motu rebellaverant, nec hostiles animos posuerant, exscindere, aut si ob insuperabilem locorum difficultatem deleri penitus non possent, ita infringere parabat, ut numquam rediret nocendi vel voluntas, vel facultas. Iis erat in Mesopotamia civitas haud ampla, nec dives, Arabum legibus & ditioni subdita. Late circum regio magnam partem deserta: rarae aquae, aut insalubres: summa ligni pabulique penuria. Praecipuum, sed munitissimum praesidium, Atrae, urbs rupi imposita. Magna ibi solis, cui urbs sacra, veneratio. Solae opes, sed ingentes, donaria templis condita. Haud aegre Romanus miles, quae urbem ambiebant, occupavit. At ubi opus fuit urbem obsidere, machinasque admovere, ibi sudor laborque plurimus. Praemissi equites equitatu, quo Arabes praepollent, gravi cum damno proturbati sunt, eosque hostis in castra usque insecutus est. Caesar, ad accendendam suorum virtutem, ipse, inter obsidentes, urbem petit. Ejus praesentia tantum ardoris indidit, ut pars murorum urbis fuerit diruta; haud sine Principis discrimine: licet enim, ne agnosceretur, vestem impera-

Digitized by Google

toriam exuiſſet, ejus canitie vultuſque gravitate permoti barbari, certique talem eſſe debere Imperatorem, in eum ejaculabantur; equeſque ei proximus tranſverberatus eſt.

Suo quidem periculo immotus erat Caeſar: at portentis territus eſt exercitus. Quoties enim impetum faceret, quaſi eam urbem invadere profanum foret, caelum coruſcare fulguribus, tonitribus perſonare, verſicoloribus irradiare luminibus, procellae, grando, fulmina erumpere. Jam & ante tetra lues caſtris incubuerat: tanta nempe culicum vis, ut iis foedatos omnes cibos exercitus nauſea reſpueret. Haec Caeſarem variis ſententiis perſiſteretne, an deſiſteret, diſtractum tenebant. At reputans nec ſapientis, nec optimi Principis eſſe, naturae imperare velle, tantumque gloriae & ſalutem exercitus temeritate perditum ire, obſidionem ſolvit.

Tum anceps, utrumne exercitum in Meſopotamiam reduceret, an bellis finem imponeret, dein adfecta ſua valetudine anxius, paullo poſt gravem in morbum incidit. Venenum, atrox ſummae potentiae malum, vel optimis Principibus formidatum, ſuſpectans, in Italiam navigare deſtinat. Simul ſupremae animo obverſabantur curae. Modo de-

Digitized by Google

corum videbatur, Alexandri Magni exemplo, ſine certo ſucceſſore decedere. Modo, ut quantum poſſet, reipublicae provideret, ſatius rebatur, ſucceſſorem deligere, qui imperium ſibi a divo Nerva traditum, a ſe acceptum, iiſdem in publicam felicitatem ſtudiis regeret. Nec facilis delectus. Ambigebat enim Neratiumne Priſcum, virtute & legum ſcientia praeſtantem, anteponeret, an Luſium Quietum, tantis bellorum experimentis probatum. Mox ne infauſta ſucceſſoris deſignatione memoriam ſuam oneraret, expeditius ducebat, miſſa ad ſenatum oratione, viros proponere, quos inter ſenatus, quem optimum probaſſet, legeret. Egregia imperii Romani tempora, quibus Princeps optimus, optimi Principis filius, optimos, qui ſuccederent, valuit deſignare!

At de ſucceſſore in incertum volvuntur Principum conſilia. Dum Trajanus virtute proviſum imperio volebat, artibus ſeſe fortunae inſerebat Hadrianus. Jam dudum Principis favorem aucupabatur, & virtutum adſimulatione, & quod plerumque validius eſt, vitiorum aemulatu. Fuiſſe enim Trajano vitia, haud ſilebit Hiſtoria; nec eum humanae conditionis ſorte excuſatum feret. At, vel

Digitized by Google

inter vitia, laus ejus erit propria, quod imperii regimini numquam ea immiscuerit. Immo, cum divi Nervae societate & exemplo quandoque indulgere vino coepisset, curari vetuerat jussa post longiores epulas. Suos autem delicatos (huic quoque amori serviebat Caesar) ad voluptates, non in consilia admittebat. Licet ergo Hadrianus & vinolentiae adsuevisset, & libertos delicatosque Caesaris blanditiis, promissis, donis diu captasset, nihil profecerat, ni Tatianus & Plotina subvenissent: ille vetere studio, cum Hadriani tutor fuisset; haec muliebri ambitione, ut, quod auctoritatis mariti morte decederet, dato imperio recuperaret. Aulae autem periti, non urgendo, (obstabant enim certa Hadriani vitia, incertae virtutes, nec umquam in eum pronus Principis favor) sed declinando, eum summae spei admovere. Ingravescente enim Trajani morbo, antequam e Mesopotamia discederet, effecere, ut Hadrianus exercitui in Syria praeficeretur. Ingens erat potentiae adjumentum, & quibusvis artibus paratum. Increvit dein morbus, profluvioque sanguinis, quo Caesar singulis annis per alvum purgabatur, interrupto, vix ulla supererat salutis spes. Seleucia tamen

Digitized by Google

pervenit Selinuntem, Ciliciae urbem. At cum apoplexia fuiſſet oppreſſus, ſimul & intercute aqua laboraret, conclamata ejus ſalute, Plotina hominem prope lectum occuluit, qui morientis & exanimi Principis voce ſimulata adoptionem Hadriani dictaret. Ejus nuntium quinto Idus Auguſti menſis accepit Hadrianus. De ea quoque miſſae ad ſenatum literae, non Trajani, ſed Plotinae manu ſubſcriptae. Ubi novo imperio ſatis proviſum, a. d. tertium Idus evulgata Trajani mors. Is fuit Trajani finis, anno aetatis ſexageſimo ſecundo, imperii vigeſimo. Promiſcuis laudibus vulgus Principum attollatur, nobis unica & ſumma Trajani laus erit ipſe TRAJANVS OPTIMVS. In hominum memoria vivit ſemperque vivet. Appellatus dulcedine, narratus admiratione animos implebit. Forte vana & turgida adulatio Principes Trajano meliores optabit. Aequa veraque poſteritas optimos habebit Trajano proximos.

Morte, quae tot Principum gloriam obruit, ejus accrevit claritas. Cremato ejus corpore, cineres Tatianus Plotinaque & Matidia, divae Marcianae filia, excepere, ut eos Romam deferrent. Obviam proceſſit Hadrianus, patriſque reliquias veneratus, juſta

Digitized by Google

perſolvit, comeſque fuit itineris, donec, conſcenſa claſſe, funebris pompa Italiam repetiit. Tum Hadrianus Antiochiam regreſſus eſt. Feralis autem pompa ibat, ut ante nonaginta octo annos viſa, quae triſtes Germanici exuvias ferebat. Fatale enim fuit, iiſdem ferme locis oppreſſos eſſe & Caeſarum optimum & optimum Principum: utrumque militari gloria circumdatum, pari utrumque comitate & adfabilitate, utrumque deſideratiſſimum, quod ille in maximas ſpes adoleſceret, hic maximas impleviſſet.

Ut Romae propinquatum eſt, ſenatus populuſque obviam effuſi; moerent ſimul & mirantur. Nempe omnes luctu impleverat feralis urnae viſus: ſimul animis obverſabatur victoriarum fama, propagati imperii gloria, & merita tot triumphorum laus. Quaeſitum tantae virtuti novum decus; &, quod nemini hactenus datum, ipſa in Urbe, locoque Urbis ſplendidiſſimo, in foro, quod Trajanus ſtruxerat, ejus cineres triumphali pariter & funebri adparatu conditi ſunt, & columnae ſuppoſiti. Mox lectis Hadriani literis, ſuper caeleſtes honores alioſque, quos Hadrianus adfatim poſtulaverat, multi adhuc additi; inſtitutique ludi Parthici, perenne victoriarum

Digitized by Google

monumentum. – Hadriani in Urbem adventus novae & majoris celebritatis causa fuit. Is enim, cum triumphum a senatu sibi oblatum remisisset, dictitans "honores a patre meritos in se non esse conferendos", Trajani imaginem triumphali curru vexit, praeeunte senatu & exercitu; eamque columnae imposuit, ut Princeps optimus sua inter opera sublimis Urbi praesideret: ludis quoque, qui deinde in ejus honorem ederentur, balsama & crocum per gradus theatri fluere jussit. Durent crescantque honores Principis optimi; aeternaque ejus memoria intelligant Principes, sua in fortuna cuncta esse fluxa & caduca, virtutem tantum & beneficentiam fore immortales.

Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY
REFERENCE DEPARTMENT

This book is under no circumstances to be taken from the Building

Form 410

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google